

DE

11-D-325

CASTELLETO PARIISIENSI

circa 1400 annum

ET QUA RATIONE RES CRIMINALES JUDICAVERIT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARIISIENSIIUM PROPONEBAT

LUDOVICUS BATIFFOL

SCHOLÆ CHARTARUM ET FACULTATIS LITTERARUM PARIISIENSIIUM
OLIM ALUMNUS

SEMINAR. I
Hist.-pr. v.



KNHICVNA
oddéleat

VERSALIIS

EXCUDEBAT V^A E. AUBERT

DE CASTELLETO PARISIENSI

CIRCA ANNUM 1400

ET QUA RATIONE RES CRIMINALES JUDICAVERIT

PROEMIUM.

In animo mihi non est studere omnibus quæ ad Castellætum spectant, præsertim tempore Caroli VI, sed solum agere de tribunali criminali illius fori. Namque si de civili tribunali, si de ejus jurisprudentia dicendum esset, in disquisitionem incurrerem plenam periculi et difficillimam præ paucitate et obscuritate monumentorum; criminalia vero Castellæti, non tam ad juris quam ad rerum historiam pertinent, mores ætatis illustrant, homines etiam, quales fuerint, manifestant. Inde insuper docemur ex quibus ministeriis tribunal illud constiterit, et quas res cognoverit, ut erat regium simul ac feudale.

Quanquam, iis annis, quibus nobis Castellætum describere propositum est, res fuerunt Parisiis plurimum turbatæ, ex civilibus dissidiis, ex hostium externorum insidiis, ex anglis principibus in regum patriorum locum suffectis, parum tamen rerum turbatio statum institutionum affectit. Castellætum, furentibus bellis, quod erat, mansit; instituta nec in pejus nec in melius sunt mutata.

FONTES.

Scripta nonnulla quæ nomen Castellæti præ se ferunt, vel quæ propter varia indicia e Castellæto exisse videntur, omitto

non tamen sine causis quæ mihi non sunt prætermittendæ silentio.

Liber cui titulus *Le Livre des constitutions deménées el Chastelet de Paris*, et brevius, *Les Constitutions du Châtelet*, quem anno 1883 Carolus Mortet edidit¹, mendosum titulum præ se fert, auctore agente non de Castelleto, sed de regulis procedendi in foro, aptisque de formulis ad baronis ejuſpam tribunal, aut ad tribunal feudale quodlibet, non ad regale. Insuper ea collectio condita fuit anno 1280, vel potissimum inter annum 1279 et annum 1282; atqui compertum satis est et sæpius erit revocandum non potuisse vigere XIV^o sæculo consuetudinem juris XIII^o sæculo vigentis: jus enim ævo medio immutabatur intra paucos annos: nullum igitur testimonium hujus libri mendosissime quidem transcripti, nisi parcissime et modestissime proferendum mihi fuit.

Certum contra, et ex auctoritate publica est exemplar quod inscribitur: *Les Coutumes toutes notoires et jugées au Chastelet de Paris*, sive expeditius, *Les Coutumes notoires du Châtelet*², in quo reperimus 186 sententias datas ab anno 1300 ad annum 1384 et latas de rebus tunc temporis controversis. Quam Castelleti iudices incertis et privatis casibus hærebant, interrogabant auditorium Burgensium, aut quæſtionem *per turbam* faciebant, id est, seligebant decem viros ex jurisconsultis auctoritate valentibus (pro singulis quæſtionibus turbam constituentes); burgenses auditorii aut quæſitores de jure sententiam ferebant, et deinde, in posterum, donec aliter judicaretur, habebatur ea jurisprudentia pro certa et definita. Hæ 186 sententiæ constituere ipsum jus; altamen, ad civiles quæſtiones tantum spectant; nihil inde igitur hauriri potest de jure aut formulis criminalibus.

Si inspexerimus librum cui titulus est *Les Décisions de Messire Jean des Marès*, ad suspecta revertimur. Ille quidem des Marès in Castelleto magni quidem doctrina æstimabatur, et, regnante Carolo VI, personam gravem egit. V. doctus Brodeau

1. Paris, Champion, in-8^o.

2. Editum per Brodeau: *Coutume de la prevosté et vicomté de Paris...* 2^e éd. Paris, 1669, 2 vol. in-fol., t. II, p. 527-558.

censuit ab eo factam fuisse collectionem decretorum sententiarumque, quam promulgat in tomo secundo libri *La Coutume de la prevosté et vicomté de Paris*¹, nullo tamen prolato legitimo testimonio, atque, si rem investigaveris, negabis illud sane; nam 422 decreta ex quibus constat ea collectio, oriuntur plura e causis apud Aurelianenses dijudicatis, quibus des Marès non interfuit (scriptor enim dicit: « selon la coutume du Chastelet d'Orliens, » vel « je vi à Orliens²... » vel « je fu en jugement à Orliens³ »). Atqui ea collectio nihil aliud est quam excerptio perperam facta, in qua miscetur solutus sermo poeticusque et latinus gallicusque, quod auctorem minus acutum declarat; deinde, si de Castelleto quodam agitur, de Castelleto Aurelianensium res est.

Liber cui titulus est *La Coutume de Paris*, anno 1510 tantummodo redactus est, posteaque retractatus anno 1580⁴, eumque adhibere nequeo ad jus anni 1400 explanandum.

Usus sum interdum libro qui nuncupatur *Le Coutumier de Charles VI*, vel, *Le Grant Coutumier de France et instruction de pratique et manière de procéder et practiquer ès souveraines cours de Parlement, prevosté et vicomté de Paris, et autres juridictions du royaume de France*⁵, opus Jacobi d'Abbeiges, viri pro moribus parvi æstimandi, qui scribebat post annum 1380; cujus libri ceterum in sequenti manuscripto substantiam reperi.

Bibliotheca nostra Nationalis, inter decem manuscripta Castelleti styllum reddentia, illud detinet quod mihi visum est exeunte XIV^o sæculo scriptum fuisse et utilissimum ad jus criminale demonstrandum: id manuscriptum est inter gallicos insignitum n^o 4471. Si nomen scriptoris reperire non licuit, scriptura tamen hujus libelli pertinet ad finem XIVⁱ sæculi. Scriptorem illum practicum, et, ut videtur, Castel-

1. P. 539-617.

2. P. 610, n^o 372.

3. *Ibid.*, n^o 374.

4. Vid. Brodeau, *op. cit.*

5. Ed. Laboulaye et R. Dareste: *Le Grand Coutumier de France*, Paris, A. Durand et Pedone Lauriel, 1868, in-8^o.

leti aseclam, non ausim affirmare fuisse consiliarium, vel advocatum, vel procuratorem, vel notarium. Multum usus est libro « *Le grand Coutumier* » eique anteposendus, quia codex qui stylum nobis tradit, antiquior est manuscriptis *Le Coutumier de Charles VI* tradentibus, nec jure posteriore correctus. Documenta affert de jure et ratione procedendi in criminibus multa et accurata, quæ mihi primum fuit didicere, conferendo ea cum libro cui titulus *Le Registre criminel du Châtelet* : ejusdem enim ætatis est. Quæ ratione doctrinali exponit, usu practico et quasi respondente innituntur, eaque etiam illustrat, confirmatque et perficit¹.

Hoc tamen documento prudenter utendum est, ut est mediocri arte confectum : scriptor enim inordinatam condidit compilationem hauriendo promiscua ex omnibus consuetudinibus juridicis Parisiorum provinciarumque, quas sine selectu refert. Imo transcribens capitula quædam edictorum, non lectorem id præmonet, unde accidit ut jus sæpe quod exponit, potius sit universale quam Castelleti proprium, et formulæ ad forum baronum pertineant haud secus ac ad regale. Denique miscet ille auctor consuetudines scripti juris et jura consuetudinis, librumque claudit inusitatissime modico juris tractatu, qui longis latinisque testimoniis irritatur. De jure criminali, tamen, de quo ab initio disputat, pretiosissima indicat et accuratissima; itaque magno mihi auxilio fuit.

Liber prænominatus : *Le Registre criminel du Châtelet*, divulgatus a v. erudito Duplès-Agier (unus codex mediæ ævi hujus jurisdictionis supernatus) fundamentum præsentis dissertationis præcipuum fuit; in eo nempe habentur plures quam centum perscriptiones causarum criminalium : quasi vena est non solum inexhausta, sed quæ studium etiam cognoscendi movet².

In collectis etiam regum Francorum edictis plura ediscuntur nec contemnenda³.

1. Bibl. nat., Cod. gall., 1076, 4369, 4472, 5236, 5359, 11710, 14669, 18099, 18110, 18419.

2. Paris, imp. de Lahure, 1861, 2 vol. in-8^o.

3. Collectio edita per Laurière.

Denique passim reperimus res et facta nonnulla apud illorum temporum scriptores.

Ab archivis proprie dictis nihil documenti suppeditatur, nisi excipiamus codicem supradictum. Antiqui Castelleti codices cognomine colorati, multo post XIV^m sæculum confecti, nihil aliud continent nisi edicta, litterasque regias vel regulas, quarum substantia in collectione ordinationum reperitur.

TOPOGRAPHIA CASTELLETI

Pauca nota sunt de ædificiis quæ, Carolo VI regnante, usui erant Parisiensi Castelleto.

Situm erat in ripa Sequanæ dextra et in extrema parte pontis qui vocatur Cambiorum, in crepidine. Erat sine dubio vetus porta Parisiorum erecta ad pontem defendendum, ideoque tam grandis ut productum munimentum videri posset, et quasi arx ab urbe libera; tanquam porta substitit usque ad initium præsentis sæculi, quo ultimum substrata est. Talis erat anno 1400, quo historiæ scriptor Monstrelet describit pompam, quæ, Parisios ingrediens, procedebat subter longam angustamque cameram, qua per Castellum tradebatur¹.

Quis primus turrim in ea area erexit, non historici Parisiorum conveniunt : Malingre², Brice³, Delamare⁴ affirmant illam a Cæsare factam; Corrozet⁵ autem et Sauval⁶ existimant ab imperatore Juliano : controversia adhuc non judicata est, et, ceterum, mediocri jam studio digna videtur.

Certum autem est, IX^o sæculo, civitatem Parisiensem munitam fuisse et mœnibus cinctam⁷; duo pontes, quibus jun-

1. Monstrelet, ed. Douet d'Arcq, t. V, p. 303.

2. *Les Antiquités de la ville de Paris*, Paris, 1640, in-fol., p. 3.

3. G. Brice, *Description de la ville de Paris*, Paris, 1713, I, 323.

4. Delamare, *Traité de la police*, I, 2.

5. Gilles Corrozet, *Les Antiquitez... de la... cité de Paris*, Paris, 1576, p. 6.

6. Sauval, *Les Antiquités de la ville de Paris*, III, 11.

7. Viollet-le-Duc, *Dictionnaire raisonné de l'Architecture*, III, 191.

gebatur insula solido, protegebantur in ripa dextera sinistrae fluminis.

Caroli Calvi capitulum profertur, datum anno 887, quo is imperator jubet ædificari castella in Sequanæ ripis ad Lutetiam contra Normannos protegendam¹. Verisimile autem est Castelletum jam tunc extitisse; duos enim pontes civitas habebat, pontem dictum Cambiorum, cui majus Castelletum iminebat, et minorem pontem minori Castelleto munitum: in normannica obsidione Parisiorum, quæ fuit anno 886, mentio est, incertis verbis, de Castellis illis apud Abbonem.

Primum charta, anno 1154 data, *Castellum regis* memorat, quod nomen ipsum videtur opus satis magnum significare; in eo autem documento mentio fit de macello, ubi pisces veniebant *juxta Castellum regis*, ex quo auctor nostri temporis, Bournon, deducit portam XII^o sæculo erectam fuisse; sed, ut verum dicam, non constat².

Alii alia tradunt. Hic Castelletum a Ludovico IX fuisse instauratum ab anno 1242 ad 1265, non dicit autem ex quo fonte hoc documentum hausit³; ille docet Castelletum arcem ferme quadratam fuisse, in qua media aula erat cum pseudothyris; in angulis vero binis binæ turres versus suburbium eminebant⁴.

Rectius vir eruditus Corrozet affirmat Castelletum a Philippo Augusto instauratum esse: scimus etenim ab eo rege erectos fuisse muros illos, quibus cingebatur civitas, quique ejus nomine appellatur. In tanto opere sane existimatur antiquum regium Castelletum correxisse; id prope certum est, et mox quare certum sit videbimus⁵.

Denique auctore Dulaure docemur Castelletum denuo a

1. Cf. Fernand Bournon, *La Grande Encyclopédie*, verbo *Grand Châtelet*.

2. *Ibid.*

3. Leroux de Lincy, *Paris et ses Historiens*, Paris, Imp. nationale, 1867, in-fol., p. 197.

4. Viollet-le-Duc, *op. et loc. cit.*

5. Alfred Bonnardot apud Hoffbauer: *Paris à travers les âges*, t. I, p. 6. Affirmat Bonnardot charta quadam Ludovici Junioris, anno 1147 data, primam mentionem factam esse Castelleti: in illa enim legitur: « inter domus carnificium et regis castellucium ».

Carolo V ædificatum fuisse, quod testatur figura Castelleti a peritis antiquitatis facta¹.

Castelletum igitur quod fuit sub Carolo VI idem est quod sub Carolo V; Carolus VI satis habuit accessum ædificii detergere, humi sternendo majorem lanienam, qua introitus impediabatur².

Postea non semel instauratum, maxime anno 1506 et 1684, Castelletum discessit e medio versus annum 1802, et ad illud usque tempus præcipuas XIVⁱ sæculi extructiones retinuit, quæ in figuris discerni possunt ab aliis, quæ postea adjunctæ fuerunt.

His præmissis, veniamus ad ea quæ de Carolo VI Castelleto cognoscere est.

Ex adverso pontis Cambiorum crepidinem prospectabat; erat igitur circumdatum vico « de la Pierre-à-Poisson », vico « de la Triperie » et viculo « Saint-Leufroy », vel potius vico « de la Joaillerie »³.

Venientibus a suburbio fornicatam portam præbebat, minus altam largamque, per quam bini currus pariter duci non poterant; et deinde patebat longa camera quæ ad aquam Sequanæ ferebat. Ea porta erat munita binis turriculis, quæ, muro appensæ, Carolo V extructionum speciem sane referebant; a turri orientem spectante eminebat murus crassus altusque, qui turrim rotundam, et in angulo totius ædificii stantem, attingebat; hic murus nullum præbet indicium unde, quo anno ædificatus fuerit, enodare liceat: turris autem Philippi-Augusti temporis esse videtur.

Hic, extructio vertebatur, faciem orientalem ostentans; in ea parte et in vico « de la Joaillerie » cernere erat, turri Philippi-Augusti contiguum, quadratum ædificium, editissimum, quatuor turriculas habens, quod a Carolo V extructum videtur; id *dominium* cavædiis interioribus clausisque et minimis erat circumdatum; hic fuit carcer.

1. Alfred Bonnardot, *op. et loc. cit.*

2. *La Chronique du Religieux de Saint-Denis*, ed. Bellaguet, t. VI, p. 41.

3. H. Legrand, *Paris en 1380*, Paris, Imp. nationale, 1868, in-fol., p. 60.

Ingrediendi ad sinistram patebat accessus in carceres Castelleti, foricula, deinde murus, quo quilibet usus cum exterioribus prohibebatur, denique ulterius antiquum et medicum B. Leufroy sacellum, tandemque pons.

Quid esset ad dexteram nescimus : an jam ibi, sicuti postea, jus dicebatur? An ibi cadavera exponebantur? Res penitus est ignota¹.

Ad ultimum, videntur primi Capeti successores, quum eis opus esset loco quodam ad concludendos reos judicandosque, existimavisse nihil esse satius quam ea arce uti, quæ jam civitatis propugnaculum esse non posset, posteaque nemini in mentem venit novum et aptius ædificium extruere, et perpetuo igitur Castelletum retinuit speciem extremi pontis muniti, perpetuoque grassatores in eo clausi sunt et jus dictum fuit.

1. Vid. Bonnardot, *op. et loc. cit.*

PRIMA PARS

VARIA CASTELLETI MINISTERIA

I. — *Præpositus Parisiensis.*

Castelleto præerat et sedebat in eo iudex (cæteri nonnisi ejus ministri erant) Præpositus Parisiensis.

V. cl. A. Luchaire, in libro cui titulus *Histoire des institutions monarchiques de la France sous les premiers Capétiens*, interpretatus est quæ esset Præpositi origo, eaque interpretatio naturam amplitudinemque magistratus indicat¹.

Regnantibus scilicet Caroli magni successoribus, præpositi fuerunt ministri ecclesiastici qui dominium remotum procurabant; quapropter tantummodo procuratores erant. In eorum locum postea monachi successerunt, qui nuncupati sunt *priores*, dominiumque *prioratus* appellatum est.

Quum Robertiani comites Parisiorum facti fuerunt reges Capetiani, non censuerunt dominium suum subjiendum esse pristinae hierarchiæ comitum et vice-comitum, quæ res erat hæreditaria traditionum Carolinarum Merovingicarumque et romanarum; in locum virorum publicorum, qui jura quasi regia retinerent et possent fieri potentissimi, quodlibetque imperium succutere (quod ubique usu venerat, ipsique fecerant), creaverunt procuratores, qui sui domini prædia dirigerent, exercerentque; præpositos igitur instituerunt.

Ita Parisii Præpositum obtinere.

Notum autem est nullam juris partitionem apud pristinos Francos fuisse; et sæculo XI^o, XII^o et XIII^o, nemo existimabat, in exercendis agris domini, opus esse multis ministris, alio qui inspectaret operantes, perciperetque fructus,

1. 2^e éd., Paris, 1891, t. I, p. 214 et seq., p. 225.

alio qui bannum convocaret regeretque, alio qui jus diceret, alio qui securitati publicæ studeret : idem vir, necessitate rerum coactus, omnia jura exercebat, et paulatim evasit unus cum tota potestate regia, regis personam gerens, nomine ejus agens, efficiensque quidquid hic facere deberet aut posset.

Ita Parisiensis Præpositus extitit magistratus regius, cujus provincia fuit urbem Lutetiam regere, securitati publicæ providere, jus dicere, regulas opificum instituere, regalia vectigalia exercere, imperare bannum primum et novissimum; denique, secundum regem, vir erat princeps civitatis

Poterit aliquis contendere eum pristino Præfectorum vicecomiti successisse, et in ejus locum fuisse suffectum. Auctor Delamare asseverat Stephanum fuisse qui primus illum titulum assumpserit, *quasi a rege præpositus juri dicundo*, et, regnante Henrico primo, anno 1060, suo magistratu adhuc esse functum¹.

Non ignoratur novos magistratus graviores postea, augecente regio dominio, creatos fuisse cum ampliore jurisdictione quam Præpositi, et multo plures, ballivos scilicet et senescallos, sed Parisiis non facta est ea innovatio, Præpositumque suum civitas retinuit, qui Parisiorum quasi ballivus reputatus est; et vere utebatur omni auctoritate et agendi vi quam ballivus habuisset.

Initio, aut saltem mature, præpositura locata est : rex enim nolebat quotidie gestionem pecuniariam sui ministri inspicere, timensque, ut puto, ne in rationibus essent, sponte vel non, errores ipsius utilitati contrarii, voluit omnem quæstum ministerii permittere viro cuiquam, pacta annua pecuniæ summa certa definitaque, nec jam ullam curam habere.

Breviter hujus dispositionis effectus apparuerunt et historiæ scriptor Joinville nobis descripsit perturbationes jam exortas a locata præpositura Parisiensi. Præpositus enim, quum ejus interesset quæstus suos augere, et impensas mi-

1. Delamare, *Traité de la Police*, t. I, p. 115.

2. Glasson, *Le Châtelet de Paris et les abus de sa procédure aux XIV^e et XV^e siècles, d'après des documents récemment publiés*, apud *Séances et travaux de l'Académie des Sciences morales et politiques... Compte-rendu*, t. XL, 1893, 2^e sem., p. 46.

nuere, omittebat, quantum poterat, sumptus, atque sæpe cernebatur innocens quispiam, si dives erat, obsequiosius agitari, quoniam ejus honorum publicatio, post damnationem, utilissima magistratui futura esset; at contra, vagi latrones liberrimi et impuniti perstabant, quod eorum insectatio impensas afferret, quæ locationis quæstus minuerent, aut quod actio constaret multo pluris quam rei solvere possent. Ludovicus IX, quum undique cives recte ea de re quærentur, decrevit supprimendam locationem præposituræ ejusque custodiam solum committendam. Petrus Boileau fuit primus novæ illius conditionis Præpositus¹.

Præpositura Parisiensis, quam illa immutatio auxerat, ab eo saltem tempore in diem crevit : XIV^o sæculo, Joannes Gallus scripsit Præpositum personam regis gerere ad jus agendum et sæpe reges in sella Præpositi sedisse²; in vacationibus magistratum sedes illa erat sola quæ veniret statim in custodiam et fidem regis, cujus locum repræsentabat procurator ejus generalis in Parlamento; Castelletum dicitur etiam fuisse primum judiciorum communium et propria regis sedes³; postea animadvertetur eam esse solam jurisdictionem, quæ habeat umbellam supra sedem præcipuam, quasi is locus regis esset; prima denique possedit sigillum armis regiis ornatum et sigillarium qui id custodiret⁴. Carolus du Moulin Præpositi conditionem his verbis definit : « Præpositus Parisiensis est major post principem in villa Parisiensi et post dominos Parlamenti principem repræsentantes, omnesque ballivos et senescallos antecedit⁵ ».

Non mirum igitur si primis temporibus magistratus ille fuerit habitus honorificentissime obitusque a viris majorum gentium, quales fuerunt Hangest, Coucy, Crevecoeur, d'Estouteville, l'Isle-Adam⁶.

1. Joinville, ed. Natalis de Wailly, p. 298. — Cf. *Le Grand Coutumier de France*, p. 30.

2. Jo. Galli *Quæst.*, 276.

3. Delamare, *op. cit.*, t. I, p. 115.

4. *Ibid.*, p. 116.

5. *Ad styl. Parlamenti*, apud Delamare, I, 115.

6. Delamare, *op. cit.*, t. I, p. 122.

Usus Castelleti nomen habebant : consuetudines Parisius, usus et consuetudines gallicanæ vicecomitatus seu præfecturæ Parisiensis, atque deinde consuetudines Franciæ sive gallicanæ¹.

Edicta regum Francorum, quorum nonnulla gravissima sunt de Castelleto, pauca de Præposito tamen referunt. Animadvertendum enim est regem solum tunc suarum litterarum auctoritate intercedere, quum de re controversa agitur, vel de perturbatione compescenda, vel de renovandis præscriptis jam omissis; itaque servientes, procuratores et notarii, quorum numerus et mores abusus multos continuosque pariebant, edictis plurimis locum fecerunt. At de Præposito idem evenire non poterat cujus auctoritas integra erat et unica, nemine ejus potestatem in interiore Castelleto repudiante; auctoritas igitur regia non necesse habebat intercedere, nisi quando de actione Præpositi agebatur naturale jurisdictionis ejus et amplitudine. De Præposito hæc dicimus quatenus iudice; quatenus namque conquæstor administratorque plurima accepit præscripta, quorum non satagimus.

Ad summum, in edicto reformandi quod datum est mense februario anni 1327 (a. s.) videmus præcipi Præposito vel ejus locum tenenti ut quotidie in carcerem pridie coniectos adeat, « car le plus souvent, pauvres gens sont pris et emprisonnés pour légères causes, desquelles le dit Prévost pourra tantôt faire délivrance suffisante ». Si quis curaverit comprehendendum aliquem ob causam quamlibet per servientem, debet statim sistere apud Præpositum ad exponendam suæ insectationis causam; quod si ille non fecerit, is qui comprehensus fuerit, solvetur².

Paucæ jurisdictiones, XIV^o sæculo, pluribus turbis confuse sunt quam Castellleti tribunal, edictis violatis, quibus definiabantur numerus magistratum ministrorumque tribunalis illius, juraque eorum. Levissimum delictum Præpositi in exsequendo suo munere fuit si Castelleto non

interesset, si copiam litigandi non daret, si in carcerem detrudi temere et perperam, sine causa justa, quemquam pateretur. Reges tandem cœperunt moveri indiligentia, ad quam Castelleto dilabebatur; itaque, mense augusto, anni 1424, rex Henricus VI corrigere statuit : « Nous avons entendu, inquit, que plusieurs exactions, tromperies et mengeries y sont commises et perpétrées en grant lezion et retardement dudit bien de justice, dommage et désertion de nos bons et loyaux subgiez ». Rex dedit Parlamento, quasi summo judici omnium cæterarum curiarum et jurisdictionum regni, provinciam inquirendi eas turbas : dicto regio Parliamentum obtemperavit, et mense maio anni 1425 edictum grave reformandi exiit¹, quo non Castelleto constitutum iterum, nec forma tribunalis mutata, sed solummodo regia voluntas indicata est de rebus, quæ reprehendendæ videbantur. Severe jubetur Præpositus adesse in sua sella quotidie mane hora septima, admittere et audire litigantes iisdem diebus quibus Parliamentum, exceptis feriis B. Dionysii, B. Catharinæ, B. Nicolai hiemalis et B. Germani Autissiodorensis; inspicere quotidie indicem eorum qui pridie in carcerem missi sunt, omnesque detentos singulis lunæ diebus visere ad cognoscendum an vis quædam aut injuria ipsis facta sit a custodibus carceris vel ab aliis, attendere etiam ut carceres sint mundi, quæ sunt præscripta ad Præpositum pertinentia².

Aliunde scimus Præposito mandatam fuisse curam formulas corrigendi, si opus esset.

Modo Præpositus, sua privata auctoritate usus, edictum promulgabat quo modus procedendi in judiciis constitueretur; modo regi proponebat edictum, curabatque ab illo obsigandum. In utraque autem re quidquam non decernebatur nisi prius in concilio res deliberata fuisset, quod concilium ex auditoribus examinadoribusque constabat³.

In quodam statuto, Præpositus his verbis utitur : « Avons

1. *Ordonnances*, XIII, 88. Cf. II, 3.

2. *Ibid.*, XIII, 89.

3. *Fragment d'un répertoire de jurisprudence parisienne au XV^e siècle* n^o 43, p. 19; n^o 88, p. 41.

1. Delamare, *Traité de la Police*, t. I, p. 118.

2. *Ordonnances des rois de France*, t. II, p. 10.

ordené par la délibération du conseil et oppinion des assistans à la court et de leur assentiment que d'oresnavant ^{1.} ».

Ex aliâ parte, in omnibus fere edictis regis quæ ad Castelletum attinent, dicitur regem aliquid providere suadente Præposito ejusque concilio ^{2.}

Quod si Præpositus assessores consulebat, id solum convenientiæ causa, atque minime eorum sententia astringebatur; nam sæpe curabat ut rex ediceret contraria auditorum examinatorumque utilitati; quod non facere potuisset si hi in concilio prævaluissent.

Interea, si rex, solo Præpositi rogatu, conficiat quæ pertinent ad Castelleti tribunal, summa Præpositi potestas ea est ut rarissime de illo fiat in edictis mentio. Præpositus nempe adibat regem tantummodo ut compesceret abusus exortos auctosque sua negligentia, non satis ipse pollens ad compescendum; in cæteris vero rebus, suo consilio, non alieno, utebatur, neque præscripta regis generalia vel apertissima negligere dubitabat.

Hujus rei exemplum singulare exhibent locum tenentes qui vices illius in civilibus negotiis et criminalibus agebant.

Ea tempestate, ii ministri, non a rege creati agnitiue, nullam ei rationem reddebant; eligebantur a Præposito, qui periculo suo mercedem solvebat: neque sancita fuit institutio, neque recognita.

Porro, XIV^o sæculo, reges ballivis senescallisque imperaverunt ne locum tenentium opera uterentur; Parisiensibus Præpositis id etiam interdixerunt, adhibendosque permiserunt solummodo si morbo laborarent, vel aliquid aliud legitimum obstaret, magistratibus relicto arbitrio quos vellent eligendi. Reges nempe perspiciebant gravia incommoda in instituendis locum tenentibus, et vitio vertebant Præpositis quod ea via justitiam negligenter, quod in substitutis suis causas totas reponerent, neque cognoscerent quidquam delictibus, quæ in ipsorum foro agebantur ^{3.} Philippus IV interdictum sæpe sæpius redintegravit ^{4.} item Carolus VI ^{5.}

1. *Ordonnances*, VII, 283.

2. 19 nov. 1393, *Ibid.*, VII, 384, 705, 281.

3. *Ibid.*, I, 744.

4. *Ibid.*, I, 352, 739.

5. 28 oct. 1394. Delamare, *Traité de la Police*, I, 123.

Talem prohibitionem Præpositus Parisiensis minimi fecit. Etenim ab antiquissimis temporibus, ob litium multitudinem, duobus utebatur auditoriis, uno in quo civilia expediebantur, et quod vocabatur « le grand parquet », altero autem in quo criminalia agebantur et quod vocabatur « le petit parquet. » Singulis istis auditoriis locum tenentem præfecit, paulatimque eis assuevit permittere lites dijudicandas. Non præmittam tamen eum aliquoties in sella criminali præsedisse, si quando res major ageretur, sed raro; solebat locum tenens ejus vices explere.

Quod modo asseruimus, ex litteris patentibus, anni 1407, manifeste comprobatur: « Ab antiquo, inquit, erant ibi duo auditoria distincta et separata, unum pro civilium, magnus Parquetus, reliquum pro criminalium causarum expeditione, parvus Parquetus. Sic duo locum tenentes Præpositi Parisiensis, sic clerici duo, videlicet civilis pro magno Parqueto, et pro parvo, criminalis ^{1.} » Inde apparet Præpositum, spreto regis edictis, duos locum tenentes habuisse.

Præter locum tenentes (idque edictis præcipitur) debuit Præpositus duos clericos habere ad scribendos codices faciendaque ejus mandata aut secreta negotia; quod si pluribus opus esset clericis, inter Castelleti notarios desumebat quos libebat ^{2.} Notemus autem hic Præpositi proprios fuisse codices, non Castelleti: ex tali consuetudine, quæ successorum inconvenienter omnes præteritas lites celabat, discimus quantum in Castelleto regulis et cautionibus jus caruerit ^{3.}

Præpositus domicilium in Castelleto non habebat. Existimo vel habitari non potuisse vetustam portam, vel præpositis minus gratum fuisse conversari in tristi lugubrique loco, qui hinc detentos, illinc cadavera exposita continebat, majore laniena circumdatus et macello piscium, «*apportu*» Parisiorum ad septentrionem (ubi habebatur mercatus), quæ omnia odorum pestiferorum plena erant. Carolus VI, tali rerum statu anxius, remedium adhibere statuit, et post Malleotinorum rebellionem, cum municipium Parisiense, litteris mensis ja-

1. Desmazes, *Le Châtelet de Paris*, p. 47.

2. *Ordonnances*, I, 739.

3. *Ibid.*, I, 743, nota.

nuarii 27 die datis, anno 1382, suppressisset, ut a Parisiensibus defectionis pœnas repeteret, publicavit domum Pilarum : Præposito Parisiorum omnia jura omnemque potestatem prioris Præpositi mercatorum scabinorumque tradidit. Postea dono dedit nominatim illi domum illam Pilarum, quam habitaret. Non videtur Præpositus eo beneficio usus fuisse; nam ædes oblatas non inivit. Tunc præpositura fungebatur Audouin Chauveron, quo administrante, non pauca desiderata sunt. Ideo, quum, anno 1388, præpositura mercatorum fuisset iterum restituta, novus præfectus, Joannes Jouvenel, nactus domum Pilarum vacuum, in ea sedem suam constituit. Die 20 aprilis, anno 1402, Carolus VI litteras obsignavit, quibus minus Castelletum Præposito donabat, qui ibi domicilium collocaret¹. Minus Castelletum erat ampla turris in extremo minore ponte sita, ubi detinebantur victi. Dubium oritur an is locus fuerit aptissimus, quem nunquam Præpositi iniverunt : in sua ipsorum itaque domo habitare non destiterunt, neque domum publicam tenuere².

Temporibus prædictis Præpositi Parisiorum fuerunt : Hugo Aubriot, 1367-1381; Audouin Chauveron, 1381-1388; Joannes de Folleville, 1388-1401; Guillelmus de Tignonville, 1401-1408; Petrus des Essarts, 1408-1410; Bruneau de Saint-Clair, 1410-1411³.

Locum tenentes eorum civiles fuere : Joannes de Chatou, 1368-1378; Joannes du Drac, 1379-1388; Joannes Truquan, 1388-1392; Simon Boson, 1392-1402; Joannes Boson, 1402-1407; Guillelmus Quarroble, 1407-1413⁴.

Locum tenentes eorum criminales fuere : Joannes de Chatou, 1374-1392; Dreux d'Ars, 1392-1397; Simon Badeloye, 1397-1402; Robertus de Tuillières, 1402-1406; Joannes Truquan, 1406-1413; Guillelmus Cerveau, 1413⁵. Si nomina ab auctore Desmazes prolata sunt vera, ex eo quod sæpius in

1. *Ordonnances*, XII, 578.

2. Sauval, *Hist. et Recherches des Antiquités de la ville de Paris*, t. II p. 154.

3. Desmazes, *op. cit.*, p. 70.

4. *Ibid.*, p. 101.

5. *Ibid.*, p. 103.

codice criminali (a Duplès-Agier edito) appareat Joannes Truquan quasi locum tenens criminalis, qui profertur etiam ut civilis ab anno 1382 ad 1392, concludendum videtur locum tenentem criminalem sæpe numero egisse vices locum tenentis civilis, ac vicissim.

II. — *Auditores.*

Cum solus non posset judicia reddere, Præpositus Parisiensis sibi locum tenentes attribuerat, et eodem ferme tempore consiliarios, cupidus non solum eorum prudentia utendi, sed etiam eis permittendi partem sui laboris. Animadvertere est enim Castelletum a principio sibi imitandum Parlamentum proposuisse, ejusque imaginem reddendam, et quasi dedisse operam ut minus Parlamentum haberetur, quod manifestum fit his verbis in edicto quodam, die 19 novembris 1393, promulgato, scriptis : « Vu que nostre dicte court de Chastellet avoit et a accoustumé de elle tousjours gouverner et régler le plus prez que elle peut selon l'ordonnance et instruction de nostre court de Parlement qui est la cour capital et souveraine de nostre royaume et exemple des autres¹. » In Castelleto erant igitur consiliarii, sicut et in Parlamento.

Ex edicto februarii anno 1327 confecto, discimus eos fuisse octo numero, quatuor quidem clericos et quatuor laicos; debebant singulis hebdomadibus bis convenire cum Præposito ad lites dijudicandas; vetabantur esse advocati procuratoresve *pensionarii* cusjusquam : quotannis quadraginta libras Parisiensium pro mercede accipiebant². Officia, quibus primo clerici fungebantur, mox a laicis præstita sunt. Vir eruditus La Roche-Flavin interpretatur eam mutationem, veluti in Parlamento, factam esse, neque ullo edicto imperatam : his nempe muneribus præfecti fuerunt clerici, qui sacros ordines intra annum se inituros juraverant; jurejurando non servato, uxores duxerunt.

Consiliarii immunitatibus quibusdam fruebantur, scilicet,

1. *Ordonnances*, VII, 584.

2. *Ibid.*, II, 4.

subsidiarum jura non solvebant aliaque vectigalia; jus etiam obtinuerunt quod dicebatur « *comittimus* aux requêtes du palais de l'Hôtel »; denique a Carolo V et post instituta vectigalia salinaria jure « de franc-salé » usi sunt, videlicet potuerunt ex apotheca salinaria sal desumere quo indigebant, solvendo pretium, quod rex ipse mercatoribus emens solvebat¹. Rex idem beneficium aliis quibusdam Castelleti ministris contulit; 14 die mensis julii, 1410, patentes litteras obsignavit, quibus regius procurator, quæsitores, scriba civilis criminalisque Castelleti immunes essent subsidiarum solvendorum pro granis, vinis aliisque alimentis quæ in suis ipsorum agris colligerent².

Jam vidimus quæ ad universos consiliarios pertinebant, nunc minuta quædam propria inspiciamus.

Consiliariorum nomine duo ordines maxime distincti ministrorum designantur, *auditores* nempe et *examinatores*³.

Putant quidam jura utriusque ordinis fuisse ab initio conjuncta et a Ludovico IX postea discreta⁴: quiquid est, principio, alii aliorum officia usurpabant, unde lites exortæ⁵.

Constat auditores xiii^o sæculo jam extitisse, non solum apparentes Præposito Parisiensi, sed etiam ballivis senescalisque. Eorum officia describit jurisperitus Beaumanoir in 40 capitulo libri cui titulus est *Coutumes du Beauvaisis*⁶.

Ex nomine ipso *auditoris* officia præsumuntur. Nempe multitudo litium mature impedivit ne Præpositus curaret ipse lites instruendas, quæ ad tribunal confluebant; habuit igitur viros proprios qui in eo labore illum juvarent et præsertim testes audirent in inquisitionibus: ab eo officio ortum est nomen *auditoris*. Postea auctoritate eorum succrescente, in animum venit permittere auditoribus lites minus graves in ipsa cognitione dirimendas, eas nempe in quibus agebantur

1. Delamare, I, 235.

2. *Ordonnances*, IX, 513.

3. *Registre criminel*, I, 166.

4. Delamare, I, 211.

5. *Ibid.*, I, 230.

6. Ed. Beugnot, II, 128.

res parvi momenti, ne implicaretur ultra modum ratio litigandi, et ad Præpositum lites nullius pensi descenderent. Ita auditores, qui primo quæsitores solummodo fuerant, evaserunt iudices et auditorium obtinuerunt. Reges hanc novitatem sanxerunt et solum operam dederunt circumscribendæ auditorum potestati, statuendæque pecuniæ, de qua in judiciis contenderetur, et quam præterire non liceret. Frequentia regiarum litterarum ea de re probatur auditores propensissimos fuisse ad jura augenda sua.

Ineunte xiv^o sæculo, duo tantum erant auditores, qui titulum præ se ferebant; prius vero Præpositus in singulis litibus eligebat quem libebat. Duo illi sine dubio vehementibus querelis ansam dederunt, vel quia pravo favore uterentur, vel quia suo officio essent impares; nam edicto mensis novembris, anno 1302, Philippus IV eos suppressit et decrevit ut in posterum « li Prevos selon la qualité des querelles donra auditeurs bons et loyauls et non souppçonneurs en la besogne en la présence des parties si comme il étoit accoustumé anciennement ». Præcepit eis etiam ne cujusquam essent beneficiarii¹.

Primo die mensis maii, anno 1313, novum edictum divulgatum est, quo auditores non litem judicaturi erant, in qua plures quam sexaginta solidi agerentur. Si quis « demande amendement », si quis ab lite apud auditorem perfecta ad Præpositum provocaverit, nec fuerit ea provocatio legitimis rationibus innixa, Præpositus litem revocabit ad auditorem, a quo provocatum est².

Quum duo testium auditores legitimi, anno 1320, in magistratum restituti fuissent, conati sunt invicem adjungere ministros inferiores ut sibi coronam facerent: quod rex vetuit, atque imperavit eis ne sibi clericos devincirent ad scripturas conficiendas (quas notarii Castelleti facere debebant)³; et ne haberent locum tenentes vel eos sibi sufficerent; quæræ ea de re multæ erant: videntur auditores ad se

1. *Ordonnances*, I, 352.

2. *Ibid.*, I, 518.

3. *Ibid.*, I, 739.

supplendos sumpsisse Longobardos aliaque « étranges personnes »¹.

Addito tempore, auditorum jurisprudentia definitur et jura strictiora fiunt nobilioraque.

Ordinatione mensis februarii annique 1327 illis interdicitur ne Castelleto abessent sine Præpositi permisso, qui, in eo casu, per locum tenentem eos supplebat. Causas viginti libris majores non cognoscebant; si quis ab auditore ad Præpositum provocasset, repulsamque tulisset, 40 solidis mulctabatur; denique auditores debebant toties in subselliis stare quoties Præpositus in sella².

Ad instar Parlamenti, curia Castelleti duos ordines sedium offerebat; nam gradus erat contra murum editus et gradus inferior ante primum; Præpositus in loco superiori considerabat, auditores vero in subselliis inferioribus: inde fiebat ut Præpositi auditorium vocaretur « l'auditoire d'en haut », auditorum autem « l'auditoire d'en bas ».

Anno circiter 1385, mutatio gravis auditorum facta fuit: magistratum locaverunt, nedum mercedem annuam acciperent. Sed quum hujus rationis incommoda percepta fuissent, non modo ab auditoribus, sed a præpositis ipsis, post quadraginta annos circiter, rex Carolus V litteris mense septembris et anno 1377 locutionem abolevit, ad pristinaque rediit.

Constat auditores eo tempore duos fuisse tantum qui causas communes solebant judicare viginti libras non prætereuntes « ès deux sièges d'embas de nostre Chastellet de Paris »: ut antea, 40 libræ Turonensium annuæ eis pro mercede solvebantur³; rex dedit illis facultatem locum tenentes eligendi, etiam clericos, qui jurejurando se astringere debebant; renovatum est tunc auditoribus mandatum assistendi Præposito et eum consilio adjuvandi⁴.

Magna ordinatio reformandi quam rex Henricus VI pro-

1. *Ordonnances*, I, 744.

2. *Ibid.*, II, 5.

3. *Ibid.*, VI, 301.

4. *Ibid.*, VI, 303.

mulgavit mense maio anni 1425, statum priorem auditorum Castelleti parum mutavit, qua etiam præscriptum fuit ne litem judicarent ultra viginti libras Parisiensium; rex jus eos creandi sibi retinebat: merces elata est ad sexaginta libras Parisiensium, facultasque concessa ut se regios Castelleti consiliarios prædicarent, sed neminis pensionarii esse debebant.

Quum litigator quidam ab auditore ad Præpositum provocabat, intra quindecim dies post judicium agere debebat mulcta viginti solidorum proposita, nisi fecisset, excidebatque causa qui provocationem retractabat, solvebat mulctam 40 solidorum, etiam majorem pro qualitate retractantis¹.

Hujus modi statutis reges auctoritatem auditorum confirmare conati sunt, qui, primum ægre tolerati, tamen propter multitudinem causarum quæ Præpositi tribunal obstruebant, manifestam demum fecerunt suam utilitatem.

Formula comparandi apud auditorem hoc est: « En jugement par devant le siège ou auditoire de maistre un tel, auditeur au Chastellet²... »

III. — *Examinatores.*

In stylo Castelleti (quem supra memoravi) explicatur hisce verbis officium examinerum:

« Au juge de son office appartient à enquérir la vérité; ja soit ce que en France et par especial ou Chastellet à Paris, le prévost du lieu a ses examinateurs ou commissaires et est leur droit office d'enquérir des faiz sur lesquieulx ils sont commis par ledit prévost ou son lieutenant ainsi. Mais les diz commissaires ne furent ordonnez fors pour ce qu'il y a oudit Chastellet trop grant affluance de causes; maiz aux autres lieux où il y a moins de causes, le juge, s'il lui plaist, puet commettre des advocas ou les tabellions ou d'autres

1. *Ordonnances*, XIII, 89.

2. *Registre criminel*, I, 231.

sages hommes pour faire les enquestes, ou lui-même le peut faire s'il lui plaist¹. »

Exemplis ex libro quod inscribitur *Registre criminel* de-sumptis, jura examinatorum specialia illustrantur :

Mulier quædam, nomine Margarita de Bruges, quum per duos homines aliquem interficiendum curasset, in vincula conjuncta fuerat; ceterum hi duo in Castelleti carcere non versabantur; quum enim essent clerici, inclusi erant in custodia officialis Parisiensis: locum tenens criminalis Castelleti examinatori, Nicolao Bertin, negotium dedit ut inquireret « de la vie, renommée, conversacion de la dite prisonnière, et aussi se elle est en rien coupable². »

Alias, quum iudices multum hæerent an reus quidam factum admisisset, cujus arguebatur, dederunt etiam examinatori negotium inquirendi de captivo, de ejus moribus vitæque præterita³.

Quæstioni ab examinatore factæ nomen inscribitur « information » : judex, exempli causa, dicit : « Certaine information faite sur yeux cas par maistre Robert de Pacy, examinateur⁴. » Quo tempore inquiri, examinator dicitur *commissarius*.

Relatio commissarii his verbis incipiebatur :

« Informacion faite du commandement de honorable homme et sage maistre Jehan Truquan, lieutenant de Monseigneur le prevost de Paris, à la requeste du procureur du roy, par moi Jehan Fouquere, examinateur de par le roy nostre sire au Chastellet de Paris sur la vie et renommée de Colette Phelipe, à présent prisonnière ou Chastellet de Paris, l'an mil CCC quatre vins et douze, ès jours et en la manière qui ensuivent : »

« Marie, femme Gautier Damechin... dit et dépose... que... » Deinde sequitur testimoniorum series⁵.

1. *Style du Châtelet*, fol. 3, v^o.

2. *Registre criminel*, I, 256.

3. *Ibid.*, II, 77 et 412.

4. *Ibid.*, I, 406.

5. *Ibid.*, I, 525. Cf. *Ibid.*, II, 354.

Examinatori igitur negotium est quæstiones habere, com-meare, veritatem inquirere interrogando, et conficere id quod vocamus « l'instruction ». Inde intelligitur definitio quam de jure ejus præbet Beaumanoir dicens examinatoris esse : « oir tesmoins, fere escrire lors dit et seeler de leur seaus et raporter le dit des tesmoins escries et seelés en jugement par devant les jugeurs à qui la querelle appartient à jugier¹. » Potuit videri hic textus convenire tam prioribus auditoribus quam examineribus; jura enim eorum consentire videbantur, et quasi permisceri; in specie autem præsentibus observandum est examineribus necesse fuisse locum mutare, inquisitiones facere, testesque accersere; auditores autem censebantur satis habere si testimonia eorum conscriberent. Accedit ad hæc quod ab origine auditores sine dubio ex eo nascerentur quod audire deberent testantium indicia, sed postea, ob mediocrem numerum (si quidem essent solum duo), debuerunt satis habere dijudicare lites, quarum eis data erat expeditio, permittentes examineribus officia, ad quæ sola primum acciti fuerant; ea ratione clarum fit cur præcipuum examinatoris officium constet in accipiendis testimoniis, sicuti auditores accipiunt: examinatores igitur quæstiones habebant.

Mature exstiterunt, quippe de iis superius vidimus Beaumanoir verba facere; at illorum conditio modo in pejus, modo in melius transiit.

Credendum est ipsis sua officia non arctissime adhæsisse, et lites potuisse examinari ab aliis; nam Philippus IV, mandamento quod dedit 18 die mensis decembris, 1311 anno, Præposito Pariensi præcepit ut impediret ne auditorum clerici, Castelletique notarii testes in causis pendentibus examinarent, detrimento examinerum, qui jus istud haberent².

Notarii, præpotentes collegii sui virtute, vicerunt demum examinatores suppresseruntque, et in ordinatione primæ diei maii, anno 1313³, quæ examinerum exitium confirmabat,

1. Beaumanoir, *op. cit.*, chap. XL.

2. *Ordonnances*, XI, 426. Cf. *Fragment d'un répertoire de jurisprudence*, nos 64 et 65, p. 27.

3. *Ibid.*, I, 517.

contra eos memorantur « plusieurs extorsions et outrageuses prises » admittæ ab illis in exercendo suo officio; examinationibus in posterum notariis commissis, demonstrabatur, per eos, quibus reformatio prodesset, quid hoc significaret et quo valeret.

Attendamus porro eo textu dici eam alteram procedendi rationem eandem esse quæ principio usitata fuit. Id edictum commode post certas turbas supervenit; nam alii Castelleti ministri suspensi sunt, quæstioque imperata est ut de injuriis quibusdam et extorsionibus anquireretur.

Suppressio examinatorum non tamen diuturna fuit; anno enim 1320 restituti sunt, eisque rex præcepit regulas ex quibus eorum statum juraque discimus: statuit eos fore octo; superius vidimus in edicto februarii, quod anno 1327 datum est, octo etiam fuisse Castelleti consiliarios; scilicet duobus auditoribus adjunctis, quam discrepantiam non bene interpretamur.

« Les dits examinateurs examinent tesmoins en toutes causes, chascun adjoint avec luy un desdits nottaires. »

Pro singulis testibus interrogatis singuli examinatores octo denarios Parisiorum accipiebant, si Parisiis sederent; si vero mutandus erat locus et extra Parisios exeundum, equorum merces a litigantibus solvebatur: præterea quotidie sexdecim solidos merebant Parisiorum; denique pro singulis testibus interrogatis, solvebantur eis quatuor denarii¹.

Officium illud erat tam quæstuosum ut a multis appeteretur etiamque obtineretur, spretis legibus regiis quæ numerum examinatorum definiebant. Qua ratione rex habuit necesse intercedere, et mense februario anni 1327 statuit octo esse Castelleti consiliarios, decrevitque duodecim examinatores fore qui in sex curias dividerentur; ex duobus auditoribus cujusque curiæ unus testes erat interrogaturus, alter testimonium scripturus; singuli percipiebant sex denarios pro singulis testibus, et quoties mutare locum necesse erat, duos solidos, scilicet singuli duodecim denarios. Si testes non prodibant, examinatores binos solidos singulis diebus merebant. Præpositus lites partiebatur auditoribus. Si vero exami-

1. *Ordonnances*, I, 740.

natores errabant, judicandi formulas instaurare debebant, suo ipsorum sumptu: si errores sæpius renovabantur, magistratus qui erraverant, magistratu abdicabantur¹.

Anno 1334, accidit ut, contra regis mandata, numerus examinatorum ad triginta perveniret. Philippus VI litteras regias 30 die octobris datas misit, quibus imperabat rediri ad numerum duodecim examinatorum². Sed necesse fuit litteras renovari confirmarique die 24 aprilis 1337³, 7 maii 1338, prima junii 1353. Tandemque Philippus VI non abnuit augere publice examinatorum numerum et ad sexdecim efferre.

Reges vero ipsi — quod maxime mirum est — spretis suis edictis, in Castelleto plures æquo examinatores creabant; deinde quo die examinatores quidam invidiam movebant, iterum promulgabantur antiqua præscripta ad eos dimittendos⁴.

Mense junio anni 1363⁵, et januario anni 1366⁶, novis litteris numerus examinatorum ad legitimum revocatus est. Carolus VI eorum jura privilegiaque confirmavit mense januario 1380⁷. 18 die novembris, anno 1418, idem princeps questus est apud Præpositum quod in Castelleto creati essent examinatores suo officio impares; ei imperavit ut illos perincitaret, in eorumque locum suo officio pares sufficeret consultis prius advocato et procuratore regiis « et aucun de nos conseillers⁸ ».

Consiliarii semper auditores vel etiam fortasse Parlamenti consiliarii exstant; videmus enim sæpe in libro cui titulus est *Registre criminel*, Præpositum, si quando hæreret in re decernenda, consilium petisse vel separatim a præside, vel a nonnullis Parlamenti consiliariis, vel a Parlamento ipso, quod nonnullos ex suis mandabat ut in Castelleto cum Præ-

1. *Ordonnances*, II, 5.

2. *Ibid.*, II, 101.

3. *Ibid.*, II, 517.

4. *Ibid.*, XII, 43.

5. *Ibid.*, XII, 233.

6. *Ibid.*, IV, 700.

7. *Ibid.*, VI, 554.

8. *Ibid.*, X, 492.

posito sedentes rem dijudicarent. Nunquam vero nactus sum virum quempiam alium quam auditorem examinatoremeve, aut unum ex illis Parlamenti viris, ornatum titulo speciali consilarii in Castelleto, in eoque iudicantem. Quod si viri ejus generis exstiterunt, nullum illorum vestigium in tribunalis codice reperitur.

Ordinatio anni 1425, dum priora confirmat et examinatorum numerum non immutat, vetat tantum eos esse cujusquam beneficiarios, statuitque ut pro majore negotio examinatore percipiat sexdecim solidos Parisiensium, pro vero minore quatuor; si autem extra Parisios exeundum est, triginta duo solidos singulis diebus¹.

IV. — *Causidici procuratoresque.*

Causidici procuratoresque nullas partes apud tribunal criminale agebant. Id quidem de procuratoribus legitimum videtur, ut qui civilibus praesertim negotiis operam dare debebant, de causidicis vero haud ita: si enim rei non defenduntur, causidici nullam interveniendi rationem habent. Restrictae de utrisque non est cur sileam.

Nemo, nisi causidicus, potest causam dicere; nemo autem causidicat, nisi causidicus renuntiatus sit, nisi jusjurandum praestiterit, nisi in albo causidicorum inscriptus sit; et ab anno 1327² id principium edictum procuratoribus etiam convenit.

Bis, singulis annis, die lunae post Quasimodo, et primo die regressus post « les vacacions de vendenges », causidici reintegrant jusjurandum « de bien et loyaulment patrociner », imitantes omnino quod in Parlamento fit³.

Principio, Castelletum suos speciales causidicos habuit, a praeposito exceptos, jurantes apud eum, seque causidicos Castelleti vocitantes. Posterius hoc privilegium abolitum est, et quilibet Parlamenti causidicus potuit apud Praepositum

1. *Ordonnances*, XIII, 90.

2. *Ibid.*, II, 10.

3. *Ibid.*, VII, 705 (1367).

causas dicere, quemadmodum causidicus quilibet Castelleti facultatem habuit verba faciendi in Parlamenti foro¹.

Edictum, mense maio anni 1425 promulgatum, causidicos admonuit regularum quas sequi deberent: iterum vetabatur causas dicere ii qui non renuntiati fuerant, nec juraverant; singulis causidicis nefas erat plures quam quatuor causas quotidie perorare; capiebant decem libras Parisiensium pro minima lite et sexdecim libras pro lite graviore; causidici tamen substantiae clientis rationem habere debebant, nec ab egenis nimium postulare. Quum perorabat causidicus, nefas erat omnibus aliis loqui vel ridere, vel jocari, mulctaque delinquentes afficiebantur, sed aures praebere peroranti debebant, et, si opus esset, consilio iudices juvare. Si cliens debitum non solvebat, causidicis anni solum erat spatium ad debitorem insequendum, et post annum lege agere jam in eum non valebant; post tres annos, nihil ab eo poterant postulare; jus enim erat praescriptum². Qui scripsit stylum ineditum Castelleti nobis tradit qualis deberet esse bonus causidicus exeunte XIV^o saeculo; descriptio satis acuta est mihi quae videtur gratum fore legenti, si totam perscripsero:

« Avocat doit avoir port et manière meure, vraye, lié, riant et attempé: estre humble et humain, toustevoies en retenant l'auctorité de son état, reffraindre le mouvement et chaleur de son courage; qu'il nes'esmeuve à yre, mesmement quand les parties l'esmeuvent et eschauffent par désordonnées et desraisonnables parolles et doit instruire ses parties que elles ne le chargent d'oisivetez ou cornées et qu'elles attendent et quierent espace, temps, lieu et heure convenables quant elles voudront parler à lui. »

« Item, il ne doit mie avoir trop intencion à ses cliens et doit les causes des mieulx paians mettre devant; toustevoies garde l'amour de ses amis et de ses seigneurs et personnes d'auctorité. Et doit avoir en son cuer bien attaché tous les principaulx poins de sa matière et la division par membres, afin qu'il lui souviengne mieulx et plus ordonneement la

1. *Ordonnances*, VII, 707.

2. *Ibid.*, XIII, 92.

puisse rapporter et que en plaidoyant sa partie soit prez de lui pour lui ramentevoir ce qu'il delaisseroit et se doit garder de dire chose par quoy sa partie le puisse mettre en accessoire nouvel¹. »

Numerus causidicorum Castelleti non circumscriptus erat; numerus autem procuratorum, intra XIV^m sæculum, ad quadraginta terminabatur. Credere est edicta regia de ea re, sicuti pro examinadoribus, non attente custodita fuisse: non semel enim rex necesse habuit priora præscripta renovare; et questus quod procuratores, quum nimio plures essent, vulgum exactionibus vique opprimerent, edixit ut quadraginta procuratores, qui soli essent renuntiati, seligerentur a conventu qui constaret ex Præposito, tribus vel quatuor Parlamenti viris, Castelletique consiliariis: quisquis candidatorum in Castelletum legi expetebat, debuit proferre testimonium, quo eum parem esse officio affirmaretur, et quod a quatuor causidicis conspicuis Parlamenti Parisiensis traditum fuisset.

Mens autem regum mutatur, instanter rogantibus plurimis viris legum peritis, qui magni æstimabant quæstus allatos magistratu procuratorum Castelleti, quos autem inhibebat numerus quadraginta exclusorius edictis statutus. Adjuvante, ut verisimile est, Castelleto ipso quod ad suam voluntatem perduxerant, dictitandando imitandum esse Parlamentum, induxerunt regem ad permittendum, sicuti pro illa curia, numerum procuratorum indefinitum, litterisque datis 19 die novembris 1393, Carolus VI edixit ut in posterum fixus non esset procuratorum numerus, et satis esse ad fungendum hoc magistratu proferre actum obsignatum a tribus quatuorve causidicis, testantemque eum qui postularet officio parem esse². Henricus VI edicto restrinxit hoc jus: statuit sane quemlibet posse esse procuratorem, quadraginta autem viros solum exercere posse procurandi potestatem « en l'auditoire d'en haut », scilicet apud Præpositum, proindeque in

1. *Style du Châtelet*, fol. 4, v^o. Cf. *Le grand Coutumier*, p. 399.

2. *Ordonnances*, VI, 332 (1378).

3. *Ibid.*, VII, 534.

rebus alicujus momenti. Reges in omnibus illis institutis poterant aliquando ab antiquis regulis et vetustate sancitis discedere, eo autem perpetuo redibant, sive subito, sive sensim; sentiebant sequebanturque traditionem quamdam continuam, a qua videbantur non posse, nisi temporaliter, deflectere: ad numerum igitur fixum quadraginta procuratorum reversi sunt. Merces statuebatur quatuor librarum Parisiennum pro minoribus causis, octo librarum pro majoribus¹.

Nunc superest de advocatis procuratoribusque regis eloqui. Mos fuit XIV^o sæculo personam quamque insignem, qualis esset princeps, episcopus, capitulum quoque et monasterium, sibi eligere in Parlamento unum aut plures advocatos, eique committere curam tuendi modo regulari omnia negotia sua in quibus sua commoda et utilitates periclitarentur; hi sunt defensores ordinarii perpetuæque. Merces eis impertiebatur non pro litibus quas susciperent, sed pacta pecunia annua, determinata, agitataque prius et accepta, cui pensio nomen est: dicuntur advocati pensionarii talis viri. Duces Burgundiæ, exempli gratia, in Parlamento duodecim vel quindecim beneficiarios habuerunt². Rex utebatur etiam advocatis procuratoribusque beneficiariis qui habebant pariter negotium tuendi, ubicumque opus esset, coronæ jura, quasi privati cujusdam jura tuiti fuissent. Advocati procuratoresque regii in Parlamento mature sibi vindicare titulum generalium advocatorum procuratorumque generalium, et paulatim personam gravem agere cœperunt extra jura sua judicialia præfinitaque.

In Castelleto stetit semper primitiva institutio; ibi procurator regius unus, advocati regii duo sunt; hi satis habebant verba facere, quum de re principis agebatur; in cæteris, erant aliis advocatis et procuratoribus nec majores nec minores. Patuit jam, et inde melius patebit Præpositum potuisse hortari causidicos ad assidendum sibi in sella superiore consiliandi gratia, haud secus ac auditores examina-

1. *Ordonnances*, XIII, 94.

2. R. Delachenal, *Hist. des Avocats au Parlement de Paris*, p. 268 et seq. — Aubert, *Le Parlement de Paris*, p. 234.

toresque. Advocati procuratoresque regii eadem facultate gaudebant, atque maxime designabantur ut sæpius quam cæteri arcesserentur; videmus enim eos sæpissime sedisse iudices, nisi, quod fieri potest, consideret in tribunali quisquis voluisset; et in eo casu otia, quæ eis negotia regia dabant, (verisimile non est enim eos his negotiis solum operam dare potuisse) sinebant illos interesse frequentius tribunali criminali. Reperire licet vestigia advocatorum procuratorumque regiorum jam ab anno 1321, 1323 et anno 1339, 1357, 1366¹...

Advocati regii in Castelleto, ab anno 1360 ad annum 1413 fuerunt: Vincentius Drouart, Johannes de Chatou, Martinus Double, Guillelmus Drouart, Simon Boson, omnes aliunde cogniti et bonæ existimationis². Regii procuratores plures fuere: Nicolaus Fontis, Jacobus Dandric, Johannes Dumur, Johannes de Tuillières, Guillelmus de Sancto-Germano, Guillelmus Poirel, Stephannus Charpentier, Johannes Aucher, Audry le Preux, Petrus le Cerf, Guillelmus Cerveau, Robertus de Tuillieres, Regnaldus de Cramery, Guillelmus Lom-moy, Johannes de Tuillieres qui pluries « desappointé », ut dici ea tempestate solebat, fuit etiam pluries revocatus ad res principis procurandas³.

V. — Notarii.

Breviora etiam de notariis dicam qui nullo modo criminalibus causis intererant, ne quidem ad consilia iudicibus danda.

Negotium erat notarii omnia instrumenta scribere quæ ad lites apud Castelletum iudicatas attinebant: « L'on ne fera rien, inquit ordinatio februario anni 1320 data, ou dit Chastellet qui ne soit passé ou signé par la main desdits notaires⁴ ». Notarii nefas erat sua munera vendere aut locare⁵,

1. Delamare, *op. cit.*, I, 201.

2. Desmazes, *op. cit.*, p. 127.

3. *Ibid.*, p. 125.

4. *Ordonnances*, I, 739.

5. *Ibid.*, II, 6.

quæ, quum cæterum sub hasta non venirent jure certo, re tamen quasi veniebant. Feria sexta cujusque hebdomadis, singuli notarii Præposito solvebant quartam partem pecuniæ quam in hebdomade præceperant pro suis scriptis obsignatis vel sigillo obsignandis. Numero sexaginta erant in Castelleto, ut ex multis mandamentis comperimus¹.

Nefas erat notariis collegium constituere et in confratris convenire, « mais se tiegnent paisiblement et comme singulières personnes ».

Vidimus examinatores diu luctatos fuisse contra usurpantes notarios qui sibi facultatem arrogabant testes interrogandi ad emolumenta inde percipienda. Eas interrogationes avide notarii persequebantur. Non semel reges necesse habuerunt revocare singulos ad suum munus, querentibus iis quorum intererat; anno tamen 1320 cesserunt et potestatem tribuerunt notariis testes examinandi « en toutes les causes meues et à mouvoir au dit Chastellet, selon ce que le pre-vost et les auditeurs dudit Chastellet leur commettront.... » Hæc indulgentia non futura erat diuturna; rex enim ad pristinas interdictiones mox rediit².

VI. — Scriba.

Principio, clericus ille cui scribere codicem audientiarum negotium erat, simplex fuit Præpositi scriba. Circa annum 1320, rex conditionem ejus legitimam fecit, virumque publicum constituit. Codex igitur ei traditus fuit custodiendus, præceptumque est ut judiciaria arcana taceret³. Postea creati sunt, ut in Parlamento, bini scribæ, civiis quidem et criminalis: scribæ criminali non modo officium erat scribere audientiarum codicem, sed et album erat scribere operam commentariis custodiarum relaxationumque, rationes severas habens ingredientium carcerem egredientiumque, duodecim denarios pro salario accipiens in utroque

1. *Ordonnances*, I, 741, nota; 647; II, 6, 387.

2. *Ibid.*, I, 739.

3. Desmazes, *op. cit.*, p. 157.

casu. Præterea videtur fuisse sequester inter captivos exterosque de rebus quæ ad litem spectabant: si captivis necesse erat aliquid inquirere, instrumentum aliquod proferre, inferre quæstionem, criminalem tantum scribam adibant, hicque, quod par est, mercedem in vicem pro sua opera accipiebat. Quum vero regius procurator captivos interrogare expetebat, nihil singulari beneficio solvebat. Alias, scriba, pro scriptura instrumenti in charta pargamena communi facta, poterat sexdecim solidos Parisiensium expostulare. Præcipiebatur scribæ, ut in redigendis suis codicibus scriberet « sans superfluité de langage, et le plus brief qu'il pourra¹ ».

VII. — *Ministri secundarii.*

Castelleto fuit sigillum, Franciæ armis ornatum et a sigillatore servatum, qui omnes tabellas sibi oblatas, Castelle-tique sigillo obsignandas, obsignabat, proque singulis definitam pecuniam percipiebat. Pecunia ejus non erat, sed feria sexta vel sabbato reddenda erat thesaurario regis, et pro officii mercede, quotidie quinque solidos accipiebat, neque fas ei erat peregre abesse plures quam octo dies sine licentia a rege vel a camera compotorum data; in Castelleto habitare cogebatur².

Præpositus Parisiensis assecclas sui tribunalis habuit multos exercentes artes juratas, tonsores scilicet, obstetrices, chirurgos, qui, occasione data, arcescebantur, seu separatim, seu numero denorum vel duodenorum. Tonsores sæpius præsertim convocabantur ad statuendum an reus qui privilegium clericatus evocabat esset reapse tonsus; et quærebant an tonsuræ olim factæ in summo capite aliquod vestigium superesset. Secundum tonsores, obstetrices sæpius arcescebantur; muliæ nempe mulieres crimine accusatæ se ferebant gravidas, sive ut a quæstione immunes essent, sive ut sententiæ plerumque capitalis executio ad partum usque dif-

1. *Ordonnances*, XIII, 96. Cf. Glasson, *op. cit.*, p. 78-79.

2. *Ibid.*, I, 739.

ferretur. Utrique, quorum numerus non erat definitus, salarium definitum accipiebant pro singulis operationibus quibus interfuissent.

VIII. — *Servientes.*

Servientes Præpositi jussa exsequiebantur, in civilibus denuntiationes faciebant, bonaque proscribebant; in criminalibus, de quibus solis nunc disputamus, jubebantur noxios comprehendere, adesse animadversionibus damnatorum, insuper, pro re nata, judicare ipsi; nam visi sunt postremum permutare modum supplicii post confessionem in extremis a sceleratis factam. Parisiis, præterea, securitati urbanæ plurimum consulebant.

Collegium erat præpotens et opibus valens; in officiis exercendis stipendia optima faciebant, lucra etiam extra ordinem; agebant enim multos dies in ædibus, quas jussi erant insidere, et plura prædabantur; denique ex judiciaria urbanaque auctoritate magnam potestatem habebant in cives, quos suo arbitrio vexabant impune.

Quamobrem servientium munus apprime ambiebatur, et numerus in dies augescebat, quamvis editis regiis coarctatus, rege eos ad statum legitimum revocante, conquerentibus verò iis qui læsi fuerant, nec clamitare desinentibus.

Servientibus duo ordines erant, peditum nempe et equitum: pedites (vocabantur etiam virgati, gallice « sergents à verge ») in civitate interiore Parisiorum operabantur; equestres vero extra civitatem, et constanter necesse erat renovare præscripta de jure duorum istorum ordinum intra fines tenendo; servientes utriusque ordinis sibi invicem plurimum invidabant, usurpantes jura alii aliorum, quum definiri non posset limes in locis ubi utrique operabantur.

Ineunte XIV^o sæculo, equites fuerunt numero octoginta, centum libras satisdato præbentes et suo sumptu armati; pedites etiam octoginta. Eo tempore, pro denuntiatione Parisiis duos denarios accipiebant, extra autem civitatem duodecim denarios Turonensium; qui remotius proficiscebatur,

*tres solidos Turonensium pro eadem denuntiatione expostulabat*¹. Obstantibus frustra regiis mandamentis, numerus utrorumque crevit; insuper lucrum cupientes, bona sine iudicio jussu proscribebant, necnon et cives infimæ requisitionis causa in carcerem conjiciebant. Quilibet officium servientis usurpabat, atque non Præpositus solum, sed etiam singuli auditores cuilibet tabellas serviendi dabant; omnes illorum extorsionibus vexati sunt. Rex, anno 1309, spe reformationis, decrevit ut numerus equitum ad sexaginta redigeretur, numerus vero peditum ad nonaginta proveheretur: Parisiis residere jussi sunt, prohibiti exire ad instrumenta facienda, nisi Præpositi (aut, eo absente, illius qui vices explebat) expressum mandatum nacti essent. Inde nulli servientium bona alicujus proscribere licuit, vel aliquem in carcerem detrudere sine eorum virorum mandato, nisi gravi de necessitate, verbi gratia, in scelere manifesto. Equiti quotidie sex solidi Parisienses solvebantur; pediti vero pecunia erat constituta pro singulis operationibus, scilicet duo denarii pro denuntiatione Parisiis facta, et quatuor pro denuntiatione in suburbio. Jubebantur expresse utrique auxilio esse clamantibus « à la justice du roi », quo jussu innuitur studium eorum mediocre fuisse. Denique nefas fuit eum servie publicæ qui justas tabellas probe et rite Castelleti sigillo impressas non obtinuerat, edictoque posteriores quo eæ regulæ enuntiabantur. Præpositus auditoresque fuerunt vetitii constituere servientes supra numerum definitum; quod si serviensprehendebatur operationi vacans, nec habens legitima instrumenta quibus constaret eum esse e numero probatorum, in carcerem sine mora detrudebatur².

Talibus præscriptionibus non obstantibus, malæ artes finem non habuerunt, immo succreverunt: officium enim in dies quæstuosius fiebat, et quotidie postulabant plures creabanturque. Querela vehementissima regi ea de re tradita versus annum 1320 nos docet Præpositum, spretis decretis

1. *Ordonnances*, I, 352. Cf. *Fragment d'un répertoire de jurisprudence*, nos 111-112, p. 55.

2. *Ibid.*, I, 465.

regiis, instituisse Castelleti servientes quam plurimos, populares suos, agnatosque et cognatos, fratres et consobrinos audientium. Huc accessit quod, quo plures servientes erant, eo petulantiores fuerunt; cædebant vulgus opprimebantque « et font moult d'autres excès et meffais¹. »

Uno anno elapso (scilicet anno 1321), auctoritate regia ordinatio quædam prodidit. Jam Philippus V (anno 1317) Præposito mandaverat ut servientes ad numerum reducerentur, quem Ludovicus IX statuerat.

In edicto quod promulgavit anno 1321, regi placuit non redintegrare pristinum numerum, et confirmare, saltem partim, servientes qui non fuerant rite creati, et tulit ad 98 numerum equitum, et numerum peditum ad 133. De cætero, verisimile est hoc augmentum ædiliciorum ministrorum recte profectum esse ab extensa Parisiorum urbe, ab adaucto civium numero, et a litium multitudine².

Perturbationes hoc regio edicto ne tunc quidem inhibita sunt, et crevit servientium numerus, modo sane inaudito, ita ut, anno 1327, 700 servientes computarentur. Rex ad 120 reduxit virgatos et ad 80 equites; laici esse debuerunt et satisfacere, hi centum libras, hi quinquaginta; coacti sunt insuper se offerre quotidie Præposito, qui eo modo recognoscebat; equites servientes, ut prius, suis ipsorum equis et armis instructi sunt; omnibus erat necesse in Parisiorum suburbio residere³.

Nova servientium auctio, anno 1369, sancita est; inde extiterunt 220 equites⁴, qui numerus die 4 mensis augusti, anno 1388, fuit confirmatus⁵, et nulla tandem mutatio facta est toto tempore cui studemus. In litteris regiis mensis junii 1405 notamus virgatos fuisse numero 220⁶; qui numerus fuit constitutus.

1. *Ordonnances*, I, 744, nota.

2. *Ibid.*, I, 751.

3. *Ibid.*, II, 7.

4. *Ibid.*, V, 194.

5. *Ibid.*, VII, 207.

6. *Ibid.*, IX, 75.

In edicto itaque mensis maii, anno 1425, de numero servientium nihil reperimus; rex statuit neminem fore servientem nisi laicum aut matrimonio junctum, et nisi ita litteratum ut signaret instrumenta; jussit iterum habitari in suburbio Parisiensi; præcepit ut servientes suorum instrumentorum relationem facerent apud iudices intra triduum, quod significationem sequebatur; re infecta, relationem fieri nullam; pæcepit etiam ut, si quem ad Castelletum duxissent, curarent scribendam in codice causam cur hominem in carcerem conjecerint, et quo requirente comprehenderint, quod nisi fecerint, decem solidis mulctabantur. Numerum autem servientium pristinum retinuit, qui decretis prioribus definitus fuerat; existimandumque est eum non sine ratione adactum fuisse¹.

Etenim servientes rationem repererant sua privilegia tuendi, et impediendi ne multiplicarentur: scilicet confratriam constituerunt, strictam, angustamque ita ut nemo fieret serviens nisi confratriæ sodalis esset; nomine confratriæ agitur de confratria virgatorum et confratria equitum, quæ ambæ acri invidia ardebant, ad litigandum usque protracta.

Prior fuit confratria equitum; de ea fit mentio XIV^o sæculo; quisquis creabatur serviens, confratriam ideoque invitabat ad cœnam vocatam « Past », quæ, addito tempore, magni constitit: hospes enim non rem expediebat minori pretio quam decem librarum; ad summum, centum solidorum Parisiensium; quum autem mediocres essent ministrorum fortunæ, ea pecunia exitio fuit: multi visi sunt qui bona et equum vendebant ad exsolvendam impensam, nec memoro rixas talibus negotiis excitatas. Præpositus demum « pastum » suppressit, in ejusque locum a singulis novis sodalibus, confratriam ingressuris, viginti solidos pendi jussit.

Præter hos viginti solidos inaugurationis, singuli servientes, singulis annis, octo solidos solvebant, et post funera hæredes viginti solidos dabant: qua pecunia cantabantur tres missæ, singulis hebdomadibus, cum dacono et subdiacono,

1. *Ordonnances*, XIII, 98.

in ecclesia Sanctæ Crucis dictæ « de la Bretonnerie », feria secunda, feria quinta et sabbato, scilicet feria secunda in commemorationem defunctorum, feria quinta de sancto Spiritu, sabbato de B. Virgine. Pecunia usui erat etiam cœnæ communi, cui omnes servientes aderant in eadem Sanctæ Crucis ecclesia, quo die annum conventum agebant. Sed malum! Male pecunia conferebatur, et, multis sodalibus non solventibus, æs alienum confratria contraxit, primumque coacta fuit a rege mandamentum expetere, quo lenti debitum exsolvere juberentur, rexque eis morem gessit. Nec satis! Anno 1407, servientes iterum magistratibus suam egestatem patefecerunt, enarrarunt trium missarum quotannis lumina sibi constare triginta sex libris, quæ erat ipsis ingens pecunia; se a quinque annis lege agere in Parlamento cum virgatis Castelleti « pour raison de limitacions et exercices de leurs offices »; a se quidem litem obtentam, sed permagni constitisse, suam esse pecuniam exhaustam, etiamque se coactos fuisse æs alienum facere, urgere tandem creditores quibus quadraginta libras Parisiensium debebant pro luminibus ecclesiæ Sanctæ Crucis et permultis aliis². Petebant a rege ut imperaret sodalibus (quorum et nonnulli sane nollent) collationem annuam duorum solidorum Parisiensium, quos penderent æstiva festivitate sancti Martini, id est quarta die julii, duodecim solidis Parisiensium tunc valentibus circiter pro salario unius diei. Eadem opportunitate usi, petiverunt a rege ut benigne vellet sibi dare facultatem habendi procuratorem legitimum a confratria constitutum, qui ipsorum commoda in omnibus rebus et ubicumque foret necesse, propugnaret; insuper facultatem etiam eligendi inter se quatuor vel octo sodales, quibus futurum esset negotium confratriæ redditus percipiendi exercendique, et qui sodalitati postridie sancti Martini festivitatis rationes redderent. Postulata rex concessit³, æs alienum exsolutum est statusque confratriæ inde melior evasit.

1. *Ordonnances*, V, 559.

2. *Ibid.*, IX, 238.

3. *Ibid.*

Pedites non confratriam habuisse videntur tam probe constitutam quam erat equitum; coaluere in communitatem quamdam, quæ collective agebat, lites suscipiebat, eligebatque vicarios. Itaque, anno 1399, potuerunt apud regem, grege facto, conqueri quod multis disputationibus litibusque cum privatis implicarentur, qui pro factis instrumentis, debitum æs solvere nollent, causam inferentes illud esse multo pluris æquo; quibus auditis, Carolus VI Præposito Parisiensi imperavit ut definite virgatorum mercedem statueret; itaque rationes collatæ promulgatæque sunt¹. Comperimus eos versus annum 1405 conveniendi facultate usos fuisse ad eligendos nonnullos suorum, duos tresve, qui negotia ipsorum procurarent resque tuerentur. Singuli servientes collaturi erant sodalitati binos Parisiensium denarios singulis hebdomadibus; quemadmodum in confratria equitum non octo sodales, sed unus tantum rationes quotannis apud quemdam cœtum, qui ex sex vel octo delegatis servientibus constabat, reddere debebat². Observavimus quid statim evenerit ex facultate utrisque data sibi invicem intendendi lites; ea tamen facultas effecit ut arctius sodales sibi invicem adhererent meliusque consulerent ne quis illegitime in ipsorum sodalitatem intruderetur.

Ad hæc, nominatum scimus fuisse « sergents à la douzaine » manipulum quemdam mediocre servientium duodevicesimorum, qui gæso armati supertunicaque amicti, ab ipso Præposito seligebantur³.

1. *Ordonnances*, XII, 195.

2. *Ibid.*, IX, 75. Cf. *Fragment d'un répertoire de jurisprudence parisienne au xv^e siècle*, n^o 69, p. 87; n^o 162, p. 85.

3. *Ibid.*, I, 751, nota.

SECUNDA PARS

RATIO PROCEDENDI IN CRIMINALIBUS.

Legisperiti, cum de rationibus procedendi medio ævo in usu habitis disputant, in errorem facile dilabuntur, effingentes scilicet exstitisse juridica quædam principia quibus homines uti credentur. At constat in criminalibus rebus sane non exstitisse XIV^o sæculo reapse disciplinam juridicam, si nomen speculative consideretur, sed potius seriem quamdam morum plerumque primitivorum, qui traditione vigeant, quique e textu nullius regis, nec e conceptu juris absoluti pendebant; lex erat nulla. In descriptione itaque nostra ne mireris si de more potius quam de lege sermo sit. Stylus nempe ineditus Castelleti, quotiescumque designare intendit discrimen procedendi quod inter Castelletum et Parlamentum comparet, his verbis utitur: « Il n'est pas bon de prendre exemple aux jugements ne aux exploiz de parlement, car la court n'est liée ne obligée de aucune loy ne a aucun stille, tellement que elle ne puisse faire le contraire quant il lui plaist, car c'est la court capital du royaume et le roy est empereur en son royaume et y peut faire lois et établissemens se il lui plaist et puis les deffaire, maiz les autres cours sont liées aux stilles¹. » Quod autem hic de Parlamento asseritur, de Castelleto etiam verum est, at certe in criminalibus, quippe cum aliter procedatur in civilibus. Castelleti iudices non nisi certas consuetudines observant, stylos nunquam evocant, ordinationes autem fere nunquam nec aliter quam per accessionem ad defendendum interdum genus quoddam singulare pœnæ. Quum enim de casu,

1. *Style du Châtelet*, fol. 23, v^o; *Le Grand Coutumier*, p. 659.

aliquo inaudito res erat, sententia quasi empirica ferebatur, non inquisito jure (nec enim extabat), nec inquisito modo quo o'im similes species judicialæ fuissent (id enim minus curabatur), sed interrogato quolibet ex causidicis seu Parlamenti scribis, seu consiliariis etiam majoris curiæ.

1. — *Quæ sit Castelleti jurisdictio et quo pertineat.*

Primo statuendi sunt fines inter quos valuerit jurisdictio Præpositi Parisiensis, quodque fuerit genus hujus jurisdictionis, quales demum sotes vel qualia maleficia judicanda habuerit.

Judiciaria Præpositi potestas erat in loca præposituræ subjecta, videlicet in suburbium vicecomitatumque Parisiorum. Inde vero intelligitur præposituræ subjacuisse civitatem ipsam. « L'en appelle banlieue de Paris la circuitude contenant environ une lieue, si comme la Chappelle, Saint-Denis qui est de la banlieue, partie de la Villette, Saint-Ladre, Pantin, Baigneux, Saint-Ellant, Clichy, etc.¹ » Vicecomitatus vocabatur denique ager Parisios circuiens, capiensusque varias Castellanas, quales erant Gaunissa, Pissiacum, Corbolium, Mons Lethericus, S. Germanus, Triollum, Bria Comitum Roberti, Gornacum. Quum singulæ illæ Castellaniæ a præposito administrarentur, qui sui agri proximus judex erat, Præpositus Parisiensis erga judices secundarios in reliqua Gallia personam ballivi agebat; ad eum videlicet provocabatur a sententiis quas isti minores Præpositi pronuntiavissent; quamobrem princeps Franciæ ballivus dicebatur².

Præpositus Parisiis et in suburbio judex proximus fuit, duo ideo fora habens, vicecomitatum scilicet in quo per provocationem judicabat, et præposituram, in qua ipse proxime jus dicebat.

Die 23 maii anno 1369, rex litteris patentibus declaravit

totam ordinariam civitatis Parisiensis jurisdictionem pro se et in suo nomine ad Præpositum pertinere, ita fuisse a remotissima antiquitate, ita a se penitus confirmari, sequere velle et statuere ut Præpositus solus lites cognosceret, exclusis omnibus cæteris iudicibus, corrigeretque et puniret omnia maleficia delictaque Parisiis admissa et a quolibet³. Sed reapse privata judicia jam incipiebant constitui et contendere cum Castelleto ut usurparent ejus jura et libera evaderent. De iudicio officialis nihil dicam; privilegium enim episcopi Parisiensis in iudicando quolibet clerico absolutum erat, videbimusque quantum studeret dictus officialis ne quis tonsus in foro sæculari perseveraret. At, officiali prætermissio, etiam tum « Magistri requestarum hospitii regis » contende-
bant sibi esse jus iudicandi, attributum edicto anni 1355 et confirmatum litteris patentibus die 19 septembris, anno 1406. Subjiciamus tamen « magistros requestarum » obtinuisse non nisi civilia iudicanda⁴. Insuper regii camerarii sibi vindicabant facultatem iudicandi quidquid ad domum regiam attinebat. Cubicularius quidam Caroli VI, nomine Colinus Le Noble, cum contumeliose maledixisset Joanni de Saint-Simon, hicque apud Præpositum questus esset, qui Colinum comprehendi jusserat, eumque multa et sumptibus damnaverat, ad camerarios provocavit, quasi in eorum foro versaretur; oportuit litteris patentibus præscribere ut sententiæ contra cubicularium pronuntiatae conficerentur, invitis camerariis ratisque Colinum a sua jurisdictione pendere⁵. Verisimile est eam jurisdictionem extitisse, sicuti pro « magistris requestarum » solum in civilibus.

Principio, Parisiensis Præpositus quælibet omnia maleficia delictaque in palatio Parlamenti admissa eodem jure iudicabat quo quælibet admissa in locis publicis. Anno autem 1358, patentibus litteris Carolus, regni procurator, duxque Normanniæ, congerium palatii creavit suum scutarium, Philippum de Savoisy: iisdemque litteris, sub specie enuntiandi pristina

1. *Style du Châtelet*, fol. 149, vº; *Le Grand Coutumier*, p. 37.

2. *Ibid.*, Cf. Delamare, *Traité de la Police*, I, p. 30, 99, 139. — *Ord.*, II, 3, nota. — Loyseau, *Traité des Seigneuries*, cap. 6, 7, 8.

1. Delamare, *op. cit.*, I, 131.

2. *Ibid.*, I, 168.

3. *Ord.*, VII, 696.

illius muneris jura, attribuit ei etiam jus dicendum, jurisdictionemque superiorem, mediam et inferiorem in palatii septo : (ut explicitius loquar, agebatur de augendis concergerii reditibus). Nemo ausus est illas litteras Parlamento proferre et in solius Castelleti codices fuerunt registratæ. Paulo post tempore, quum concergerius jus suum exercere voluisset in porticum mercatores, hi reclamantes curiæ postulationem obtulerunt; generalis procurator jure eos agere pronuntiavit, Parlamentumque reclamationem confirmavit decreto 15 julij 1396, concergerio non obstante. Cum vero Joannes Jouvenel creatus fuisset concergerius, litteris patentibus quibus creabatur redintegratum est ei jus superius judicandi mediumque et inferius; et quum missæ essent ad cameram compotorum eæ litteræ, quæ in tabellas publicas referrentur, Præpositus Parisiensis intercessit, camera vero ejus intercessionem nihili habuit, et temperationem tantummodo adjecit, scilicet omnes ministros, quibus in foro suo opus foret concergerio, ab ipso Præposito creatum iri, concergeriumque observatum eorum mores, et, si quid providendum esset, apud Præpositum relaturum. Hic tamen adhuc, vel saltem tempore de quo loquimur, perspicuum esse videtur, comprehensis iis qui deliquerant, examinatum fuisse an delictum esset civile; si esset, judicium apud concergerium habebatur; si autem criminale, reus mittebatur ad Præpositum¹. Exempli causa, quispiam nomine Jehanninus le Voirrier, quum deprehensus esset « copant le mordant de la sainture d'argent d'un homme en la chambre de Parlement », comprehensus fuit et ad Castellatum deductus².

Cæterum, Parlamentum studebat colendis etiamque tuendis in ea re juribus Castelleti. Vidimus illud contra concergerium sententiam dixisse pro Præposito; alias, ad Castellatum dimisit reos, quos sane judicare potuisset³; die 22 martii anno, 1389, Parlamentum sententiam dixit qua exclusit episcopum Parisiensem expostulantem pro sua jurisdictione duos reos,

1. Delamare, *op. cit.*, I, 181.

2. *Registre criminel du Châtelet*, I, 184.

3. *Ibid.*, II, 67.

qui in eo erant, ut, de scelere admissio, in foro episcopi judicarentur¹.

Restitit rex minus quam Parlamentum in propugnando Præpositi jure erga capitulum episcopumque Parisiorum. Episcopus capitulumque, quibus jamdudum jurisdictionis erat in omnes clericos, cum ambirent etiam illam in quamlibet litem extendere, quæ in ipsorum agris domibusque oriretur, contententes jus suum esse ab antiquissimo tempore, a Carolo VI litteras patentes petiverunt, quibus jura sua agnoscerentur. Diu quidem rex renuit, sed tandem, mense junio anni 1390, sub ingressu solemnium reginæ, immo, inquit, ea instanter hortante, edidit documentum quo data est vel constituta extensio jurisdictionis officialis. Quum autem Parlamentum, sui instituti non oblitum, tale privilegium in tabulas publicas se relaturum negaret, episcopus a rege litteras jussionis obtinuit, tandemque Parlamentum dare manus coactum est; tres condiciones autem obtinuit: primam quidem ut regii iudices regios casus cognoscerent; secundam ut de cæteris omnibus casibus, priores judicantes, servarent judicium; denique ut omnes regii ministri possent instrumenta conficere in agro qui ab episcopo pendebat²; re vera, Parlamentum sinistra manu recuperavit quod dextra dedit; condiciones nempe, quas privilegio tribuendo objiciebat, privilegium ipsum faciebant irritum. Hic etiam, quod verum est, certum non habemus an de civilibus exclusive res esset.

Modo vidimus Præposito certam non fuisse judicandi potestatem, ne quidem intra limites suæ jurisdictionis, imminutam vel aggressionibus vel cautionibus, quibus restricta fuit; status igitur est incertus.

Reperitur etiam incertus intra limites, ut ita dicam, exteriore potestatis judiciariæ Castelleti. Dixi civitatem Parisiorum suburbiumque ad Præpositi forum pertinuisse, adde etiam vicecomitatum: inde crederes Præpositum, quum sit Parisiis astrictus, nihil ulterius posse. Absit! Turonensis, provinciæ regiæ, tunc fuit dux Ludovicus, frater Caroli VI,

1. Delamare, *op. cit.*, I, 157.

2. *Ibid.*, I, 157-158.

futurusque dux Aureliani; cujus in locum et nomine senescallus administrabat. Porro Cæsaroduni comprehensum quemdam, quasi puteos fontesque venenis infecisset, (quæ accusatio tunc temporis fuit gravissima) existimabatur traditum iri senescallo; minime, sed Præpositus Parisiensis rem ad se evocavit judicavitque¹. Senescallus Engolismensis qui in sua urbe comprehenderat accusatum quemdam, quasi adulterinos nummos inter negotiantes sparsisset, invitatus ut reum mitteret Parisios, ubi Præpositus ejus quæstionem habiturus esset, negavit se missurum, bis rege ei imperante mandamentis ut veniret. De regio dominio hîc agebatur². Litteris patentibus 30 die maii et 30 junii 1389 anni datis, quom Carolus VI dominium Fontaneti Joanni le Mercier, domino Novigenti, dono dedisset — eum agrum integre possessuro simulque omnia jura judiciaria ei adjuncta, — die autem quadam, quispiam nomine Joannes le Gastelier comprehensus fuisset apud Fontanetum, suspectus quasi furatus « un petit coustel franchepain », suspectus tantummodo de levi, fuit tamen Parisios deductus et a Præposito judicatus. Ea erat justitia dominorum³.

Si, constituendo talia judicia particularia et nulli subjecta, reges intendebant jurisdictionem Præpositi Parisiensis minuere, res videntur in contrarium extra Parisios successisse, Castelletique constat fuisse propagatam auctoritatem per totum regnum, neque enim ita ut non jam fuerit exclusive Parisiense tribunal, sed quasi altera curia summa et in totum regnum. Reges enim eo venerunt ut Castelleti judici expressam facultatem dederint lites intendendi omnibus regni facinorosis, in quocumque foro versarentur, comprehendendos curandi, comprehensos judicandi et damnandi, etiam provocantes, ea tamen conditione si extra clericatum essent⁴.

Præterea, quotiescumque rex censuit eximendum aliquem

1. *Registre criminel*, II, 2.

2. *Ord.*, VII, 492.

3. *Reg. crim.*, II, 93.

4. *Ord.*, VIII, 443.

virum gravem, vel collegium, vel monasterium a jurisdictione judiciorum communium in provinciis, dedit eis Parisiensem Præpositum quasi proximum judicem, quod vocitabatur « droit de protection » vel « de garde gardienne »¹. Quom Judæis esset in civitate Parisiensi domus, ubi jus speciale eis diceretur, rex binis magistratibus munus dederat judicandi litem quamlibet, etiam a Judæis intentam, vel qua Judæorum interesset; bini illi jurisdictione complectebantur non solum omnes Judæos præposituræ vicecomitatusque Parisiensis, sed etiam omnes qui in agro « Languedoil » dicto versabantur. Hoc privilegio Judæi perperam uti sunt et superbientes quod speciale jus haberent, studebant eo trahere christianos, quibuscum vel minimum altercarentur. At vero die 16 februarii 1388, querelis auditis, quæ ea de re iteratæ fuerant, rex provinciam binis magistratibus (hi nomen habebant Beraut Bresson et Joannes Truquan), datam revocavit, decrevitque ut in posterum lites omnium Judæorum sive Parisiis sive in « Languedoil » a Parisiensi Præposito judicarentur².

Itaque dici potest locos fuisse incertis finibus circumscriptos qui ad jurisdictionem Præpositi pertinebant, facultatem vero Præposito fuisse concessam suum forum extendendi per totum regnum, immo copiam datam id ipsum privilegium dilatandi, quamvis reipsa Præposito defuerit tantum studii rationisque ut tali potestate plane uteretur.

Quales essent ii quos Præpositus judicare posset et qualia crimina, discernere facile non possumus. Intelligitur infimos homines ad iudicium ejus tractos fuisse et damnatos de omni genere criminum, scilicet de minimis furtis haud secus ac de cædibus, incendiis, stupris, maleficiis, veneficiis publicis, nummorum adulterationibus. Mirum magis videbitur quòd Præpositus judicare consueverit etiam milites, scutarios, barones, magnosque regni officiales, quales erant comes Augensis, par Franciæ comeque stabuli. Exempli gratia, in causa militis Merigot Marchès, qui,

1. Delamare, *op. cit.*, I, 449.

2. *Ord.*, VII, 226.

cum esset (ut loquar more scribarum) « nobles homs et de noble lignée », criminis insimulatus est gravissimi, nempe proditiōnis et majestatis, non Parisiis aut in vicecomitata perpetrati, sed apud Petrocordios, nonne videretur miles ille traducendus ad Parlamentum? Neutiquam; a Præposito Parisiensi enim captus damnatusque fuit¹. Idem accidit comiti Augensi, quem intra triduum rex Joannes jussit, anno 1350, comprehendi, in Castelleto judicari, capitis demum damnari².

Immo Castelleti jurisdictio, inter particulares Parisiorum jurisdictiones, fuit jurisdictio propria nobilium, ad quam solebat remitti ingenuus quisque, si in particularium judicium manus incidisset. Quum Major Sancti Maglorii pararet judicare Simonem quemdam de Verrue, qui accusabatur quasi Horas furatus esset, hic se nobilem professus est; tunc Major (Dionysius de Bausmes nomine) Castelleto Parisiensi Simonem tradidit, exposcens ut apud Præpositum se nobilem esse comprobaret; si comprobavisset, a Præposito litem persecutum iri; si vero non, Simonem deductum iri ad Sancti Maglorii forum. Quum reus affirmaret nonnisi animo se nobilem esse, Præpositus juris incertum Majorem interrogavit quid sibi faciendum censeret: deinde ut finem causæ faceret, proposuit Simonem in Castelleto asservandum judicandumque, sed datis Majori litteris quibus assereretur inde nullo affectum iri detrimento Sancti Maglorii forum. Rem Dionysius de Bausmes ad consiliarios Sancti Maglorii relatum et ab illis approbatam approbavit et ipse³.

Quæ fuerit igitur judiciaria extensio Castelletensis fori discernere haud facile est. Quo autem pacto sua jura cum Parlamenti juribus conciliaverit nescimus; nullo tamen est manifestum indicio eas curias conflixisse, certiusque comperitur eas omnino consensisse. Vidimus enim Præpositi auctoritatem propugnatam a Parlamento, Præpositum e contra Parlamenti observantissimum, ejus sæpe pru-

1. *Registre criminel*, II, 208. Cf. Glasson, *op. cit.*, p. 56.

2. Desmazes, *le Châtelet de Paris*, p. 63.

3. *Reg. crim.*, I, 2.

dentiam implorantem, semperque Parlamentum Præposito subsidio venientem. Quum de provocatione agetur, Parlamentum apparebit affectans ad se delatæ reclamationis speciem de re a Castelleto tractata. Fere semper curia major Præpositi sententias approbabat: ad summum, rogabat ut lis redintegraretur, aut consiliarios mittebat qui audientiæ interessent; nunquam ad se causam evocavit: sinebat a Castelleto properari finiri que quidquid inivisset.

II. — *Exordium litium.*

Scitur nullum fuisse ministerium publicum, ideoque nullam insectationem publicam in grassatores. Si quis inventus esset in via publica occisus (videbimus de plurimis cædibus non negatis quam sæpe id accideret), Præpositus Parisiensis neque conquisitionem neque quæstionem ullam faciebat: corpus sepeliebatur nec ulli jam curæ erat. Magistratus sese movebat quotiescumque grassator manifesto deprehenderetur, vel si quis de eo expresse quereretur. Questu isto nominatim judici designabatur ille qui comprehendendus erat, deinde servientes certiores fiebant sibi solum iri mercedem; querentes enim sumptum præstabant.

Castelletenses viri, si quando agere incipiebant nonnisi ab exterioribus requisiti, aliàs impellentibus nimis obsequi visi sunt, et pro levi denuntiatione civem in carcerem conjicere. Regibus curæ fuit ea injuria: statuerunt namque nullam litem intendendam, neminemque comprehendendum, priusquam quæstio habita esset et de veritate criminis constare posset. Prout inde de crimine constiterat, judices censebant comprehendendum hominem vel non¹. Sed huic constitutioni idem accidit quod aliis multis; flocci nempe facta est. Die 22 novembris 1371, quo suorum antecessorum expressa mandata renovavit Carolus V, volens « nos subgez non estre travailleez ne dommaginez sanz cause raisonnable »; quod prius id posterius²: satis erat requisitio

1. *Style du Châtelet*, fol. 19, 20.

2. *Ord.*, V, 433.

unius ut quisquam a serviente comprehenderetur. Rex Henricus VI, edicto maii 1425 anno, restituens aliquot jura quæ privatos tuerentur, in eodem ipso edicto sibimet contrarius fuit. Primum enim cœpit expresse servantibus interdicare ne quemquam comprehenderent sine iudicis aperto jussu, nisi autem manifesto. Si autem inferius edictum legeris, in articulo emolumentorum quæ serviens percipere potest, videbis requiri posse duodecim denarios a quocumque, qui imperaret quemlibet a serviente comprehendi. Textu etiam enuntiatur, si imperans non solverit, ejus requisitionem omitti posse et comprehensum relaxari; ita Henricus VI re condonavit quod prius negaverat. Etiam animadvertendum est hoc documento fuisse præceptum servantibus ne quemquam in via jacentem erigerent, nisi qui sauciatus esset et suo cruore respersus « on routure, on bateure enorme... »; leviter vulneratus non erigebatur¹.

Undecima die decembris anni 1391, Guillelmus Certain, a secretis ducis Turonensium, ad Castelletum prodivit, narravitque hominem nomine Thibaldum des Quarreaux, nuper apud Sociacum, non procul ab Senonibus, spoliatum suis bonis fuisse, uxorem filiamque ejus occisas, ab uno ex suis servis nomine Perrinot Cousin, qui, re perpetrata, aufugerat, certiorque factus Guillelmus prædictus interfectorem Parisiis versari domiciliumque in via Rosariorum habere, eo iverat ut inde deduceret Perrinot traheretque ad Castelletum. Iste autem aberat, sola vero aderat uxor, quæ ait Thibaldum esse versus Sylvanectensem urbem. Tunc Guillelmus finem fecit justitiam implorans. Tribunal itaque « ouye la clameur duquel maistre Guillaume et veu l'estat de sa personne, attendu aussi l'énormité du cas... » imperavit equiti servienti ut apprehenderet Perrinot ubicumque ei occureret, non autem in loco sancto vel asylo².

Quum fiebat hujus generis denuntiatio, comperto rei domicilio, dies ei dicebatur perendinus, publiceque jubebatur sistere. Serviens qui hæc operabatur, secum ducere de-

1. *Ordonnances*, XIII, 98.

2. *Reg. crim.*, II, 376.

bebat testes duos « pour ce que en cas criminel un sergent n'est pas creu de son adjournement. » De ea dilatione serviens referebat, relatioque offerebatur judici, qui in tabulas publicas transcribendam curabat. Si post tres dies accusatus non vadimonium sistebat, iudex *banniebat*; attamen, ut Castelleti stylus dicit, qui hæc documenta tradidit, ante exilium pronuntiatum, magistratus debebat pro certo habere « que le cas soit criminel et capital, item qu'il soit advenu », deinde suspicionem, quæstione facta, confirmatam fuisse; denique procrastinationem expresse in domicilium nocentis significatam; « que le cas soit touché au premier default; que les appeaux soient faiz sans interruption; item *cautum est* que le jour le juge le face interim appeler et puis prononce son bannissement¹. » Verisimile est rem usu minus strictam fuisse et ab iudice nonnullas earum præscriptionum omissas, neque semper maleficos in exilium ejectos, qui reperiri non possent, cum plerique eorum essent inopes laris et fundi. Sententia exilii per præconem proclamabatur; vetabantur omnes « qu'ilz ne tiengent compaignie aux dessus nommez », excipere hospites et celare « sur paine de forfaire corps et biens envers mondit seigneur (rex). Maiz quiconque les trouvera hors lieu saint s'efforce de les prendre à assemblée de gens, à cry, à haro, à son de cloches et par toutes les voyes et manières que l'on pourra². » Si grassator, cui dies dictus erat, vadimonium non constituisset, et si extra periculum esset is in quem grassatus erat, non in exilium ejiciebatur³.

Pronuntiato exilio « le clerc de la paroisse envoie une cedula au crieur par laquelle il crie par les carrefours de Paris tel a esté prononcé bany et que doresnavant aucun ne le recepte, recelle, heberge, denonce, aide, ne conforte, sur paine de forfaire corps et biens envers le roy nostre sire⁴. »

Quum accusatus actioni magistratum se subtrahere volebat, in ædes sacras vel in monasterium confugiebat, jure asyli

1. *Style du Chdt.*, fol. 19, v^o. Cf. *Le Grand Coutumier*, p. 655.

2. *Ibid.*, fol. 20, v^o.

3. *Ibid.*, fol. 22, r^o.

4. *Ibid.*, fol. 22, v^o. *Le Grand Coutumier*, p. 656.

usus. Asylum sacer habebatur; itaque facinorosus quilibet omni opera enitebatur ut in eo salutem suam consulere. Criminalis codex narrat furem quemdam, qui quondam in ipsa via publica fuerat deprehensus, comprehendenti non restitisse; deinde petiisse a serviente ut per vicum Sancti Jacobi duceretur; cum igitur prope ecclesiam Sancti Severini pervenisset, impetu subito se expedivit, ad aedes sacras cucurrit, ingressusque locum inde avelli non potuit et omitti a justitia meruit¹.

Quum tamen accusatus quisquam in asylo se collocabat, juberi poterat sistere vadimonium; si post tres dies non vadimonium constituerat, banno mulctabatur². Denique si quis occidisset aliquem prope asyllum, in mente habens eo statim confugere, jure tutelae non fruebatur, neque poterat ad alterum asyllum properare³.

III. — De carceribus Castelleti.

Reus quisque, postquam comprehensus erat, in carceribus Castelleti ordinariis (sic enim nuncupatae erant) detrudebatur; nec ullus, praeter mandatum cancellarii Galliae vel Parlamenti vel Praepositi, a serviente quopiam poterat in carceribus recludi aliis quam Castelleti, injuncta sexaginta solidorum Parisiensium multa⁴.

Carceres, ut jam monuimus, erant in arce quadrangula, quae interioribus cavædiis circumventa stabat ad orientem aedificii. Arx tota carceribus referta erat a parti superiori ad inferiorem; rei includebantur in superioribus contabulatis. Intelliguntur inde verba monachi Sancti Dionysii, quibus enarrat Castelletum a multitudine, anno 1418 et tempore turbarum, invasum: « Castellum Parisiense principale violenter ingressi, mox ut carceres ascendere sunt conati, resistantiam reppererunt. » Invalentes nempe a regiis ministris

1. *Reg. crim.*, I, 15.

2. *Style du Châtelet*, fol. 22, r^o.

3. *Ibid.*, fol. 24, v^o. *Le Grand Coutumier*, p. 662.

4. *Ord.*, XIII, 98.

ejecti fuerunt, qui « multos per altiores fenestras Castelleti projecerunt¹ ». Carceres igitur non erant quasi fossae depressae obscuraeque et humidæ, sed potius cubicula spatiosa et aura perflata.

De nominibus omnium Castelleti carcerum, quos novimus, diu quaesitum fuit, et quamnam habuerint originem, de qua tamen non satis constat.

Interea carceres Castelleti hodiernis carceribus comparare non æquum est, in quibus rei, amissa libertate, publice hospitio excipiuntur et publice aluntur. E contra, reus quisque in carcerem Castelleti conjiciebatur quemadmodum privatus certam domum jubetur habitare: debebat videlicet mercedem pactam solvere pro singulis diebus aut noctibus, deinde vitam suo sumptu tolerare. Reus igitur in Castelleti gravabatur non solum libertatis defectu, sed etiam captivitatis sumptu. Commodis fruebatur prout pecuniam solvebat. Sed copia cuique non erat eligendi suum locum pro suis facultatibus: cuique enim locus dabatur secundum conditionem suam et causam et jussionem judicis qui eum comprehendendum curaverat. Expresse nefas erat permutari carcerem alicujus sine Praepositi auctoritate².

In Castelleti fuerunt carceres quatuordecim³. Primum quidem quinque erant ejusdem generis, scilicet: *Les Chaines*, *Beauvoir*, *La Mote*, *La Salle* et *Barbarie* vel *Gloriette*, qui omnium aptissimi et maxime « honestes prisons », erant in superiore arcis parte positi. Qui detinebantur in eis unâ degebant, loco sat spatioso utebantur; cuique lectus commodabatur. Pro singulis noctibus duo vectigalia singuli pensitabant, pro loco nempe et pro lecto scilicet; pro lecto quater os denarios, pro loco duos, sed licentia dabatur

1. *Relig. de Saint-Denis*, VI, 248.

2. *Ord.*, XIII, 101.

3. In sequentibus praecipue utimur: edito ab Henrico VI dato mense maio, anno 1425 (*Ord.*, XIII, 101) et documento cui titulus est: « Ce sont les estatuz de la geole du Chastellet de Paris ». Hoc editum fuit ab Amato Champollion-Figeac apud: *Droits et usages concernant les travaux de construction publics et privés sous la 3^e race des rois de France*, Paris, 1860, in-8^o, p. 163-165; et a Leber apud *Collection de Dissertations relatives à l'Histoire de France*, t. XIX, p. 169.

cuique a domo sua lectum petendi, tunc vero pro loco solo vectigal pensitabat. Excipiebantur tamen qui versabantur in *Barbarie* vel *Gloriette*: his nempe humi cubare licebat.

Secundi generis fuerunt tres carceres, *La Boucherie*, *Beaumont* et *la Griesche*: et hi non ita duri. Hoc habebant propriam quod clausi carceres vocarentur; detenti namque non una degebant, sed in cellis separatis. *La Boucherie* et *la Griesche* peculiariter mulieribus addicti erant¹. Ibi etiam solvebantur quaterni denarii pro singulis noctibus, binique pro loco.

In tertio carcerum genere, conditio durior; id genus habebat tantum unum carcerem nomine *Beauvais*, qui amplum cubiculum erat, primam arcis contabulationem capiens, exacte quadratum, cujus cernuntur adhuc nomen mensuraque in descriptione reaedificandi Castelleti versus annum 1684 facta, et in archivis generalibus servata². Ibi detenti, permixte collocati, cubabant in tegetibus aut in strato feno. Contabulatio erat pavimentata, eaque in media erat ingens lacus aqua plenus et lapis, qui major lapis appellabatur. Detenti solummodo binos denarios pro singulis noctibus solvebant.

Ultimi demum quartique generis carceres fuerunt omnium pessimi, numero quatuor, scilicet *la Fosse*, *le Puis*, *la Gourdainne* vel *Bersueil*, *l'Oubliette*, in cellis subterraneis, siti, in plano humillimo, fenestralis angustis illustrati; ibi pessimi grassatores recludebantur, hominesque egeni qui vel denarium unum (exigebatur enim) solvere rarissime quibant. Aiunt hos carceres fuisse « très ordes et obscures prisons³ », praesertim *La Fosse* qui erat ita cavatus (quod nomine significatur) et ita profundus ut nec lucem nec aurammitteret, angustus insuper et cono inverso similis ita ut nemo ibi rectus stare posset nec recubare. Huc accedebat quod ima pars aqua abundabat; eò descendebatur per cochleam quæ

1. *Reg. crim.*, I, 351.

2. Figurata apud Hoffbauer, *op. c.*, p. 9.

3. Douet d'Arcq, *Choix de Pièces inédites relatives au règne de Charles VI*, II, 271.

in lacu aperiiebatur. Agitur in rationibus Præpositi de « une poulie de cuivre servant à la prison de la Fosse au Chastelet pour devaller les prisonniers... »; demittebatur nempe per funem in illud foramen accusatus, et, clauso ostio, ibi deserebatur¹, non ita tamen ut interiret. Raro enim rei ad carcerem perpetuum damnabantur. Castelletum nempe detentis numerosioribus impar erat; detenti plerique inopes erant et solvendo impares; deinde mos erat hisce temporibus, ut in majoribus Ecclesiæ festis, vel occasione data solemnibus pompæ (qualis reginæ ingredientis Parisios, quod sæpe eveniebat, vel matrimonii aut nativitatis alicujus principis), carceres solverentur. Quapropter Castelleti carceris pœna mulcta vel banno potior erat. Carcerem *le Puis* ejusdem generis fuisse cujus *la Fosse*, ipso nomine indicatur, item *l'Oubliette*. Dicebatur: « avaler en oubliette² ».

Ne denique omitlamus carcerem alium, qui verisimiliter tunc solum usui erat quum cæteri omnes essent referti, vocatum *l'Entre-deux-huis*; quicumque in eo cubabat, solvebat etiam denarium unum. Accidere poterat ut, confluentibus maleficis hominibus, nullus jam in Castelleto locus esset, quod præcipue accidit mense decembri 1398. Rex jussit ideo detentos includi in minori Castelleto³.

Castelleti carceribus vir præerat, qui eos regeret administraretque et custodiret, custos scilicet laicus vel matrimonio junctus; habebat secum pro ministerio clericum unum et tres agentes. In carceres dominabatur, nihilque fiebat nisi ab eo vel per eum. Quicumque ad Castelletum adducebatur detinendus, a custode excipiebatur nomine exacte in codice inscripto: si clericus erat, crux juxta nomen scribebatur; quod ni fieret, quadraginta solidis custos mulcebatur. Præter hunc commentariorum codicem, fuit alter nomine *inventarium*, in quo designabantur quæcunque ingredientis essent.

Illic detentus pretium quoddam solvebat pro custodia in-

1. Alfred Bonnardot, *op. cit.*, p. 14.

2. *Reg. crim.*, I, 261.

3. *Ord.*, VIII, 309.

gressuque, quod pro qualitate ejus varium erat. Comes quisque decem libras Parisiorum pendebat, banneretus viginti solidos; miles vel domina, quinque solidos; scutarius vel domicella nobilis, duodecim denarios; longobardus vel longobarda, idem; judæus vel judæa, undecim solidos; quilibet alius, octo denarios. Cum detentus quisque emittebatur, dabat in egressu eandem pecuniam, quæ appellabatur jus custodiæ in egressu; quod si neutrum solvisset, custodi facultas erat egredientem in carcere retinendi.

Detentis quibuscumque ad carcerem deductis, nefas erat cum exterioribus communicare sine facultate data a Præposito vel ejus locum tenente: nulli detento fas erat habere atramentarium atramentumque et chartam; si quid scriberet, a Præposito vel a locum tenente legebatur. Vidimus detentos potuisse a domo sua lectum petere, si haberent locum in quo lectum collocarent; vetitum eis erat etiam jactare talos; attamen « les gens d'estat et d'honneur » comprehensi pro ære alieno, vel pro culpa minus gravi, ludere tabulis et latrunculis poterant. Quoad victum, custodi negotium erat providendi ut omnes cibo vescerentur, cui negotio multifarie providebat. Primum quosdam mensæ suæ adhibebat, pretio, ut par erat, dato, Præposito vel ejus locum tenente pretium illud ipsis statuente pro temporibus et annonæ caritate. Custos neminem poterat adigere ad convivandum secum, et ideo permittere debebat ut ab exterioribus afferretur cibus detentis quibus talis victus placebat. Custodis erat tamen scrutari diligenter quidquid ita inferebatur. Qui de criminali causa detinebatur, panem tantummodo et aquam recipiebat, prohibitumque quidquam aliud ei tribui, nisi contrarium a Præposito vel ejus locum tenente præciperetur. Panis illius pretium detentus, si poterat, solvebat, quod cum rarum esset, custos necesse habebat panem omnibus suppeditare, etiam suo sumptu. Revera custos cavebat ne inde gravaretur. Nempe jurati sodalitatum pistoriarum in civitate Parisiensi solebant constanter ad Castelletum pro detentis panem mittere. Insuper erant in civitate qui stipem emendicabant pro detentis; panis igitur sic collectus (et multus quidem erat) distribuebatur non a servo custodis, sed « par le

plus souffiant et notable prisonnier qui sera sur les carreaux ».

Feria sexta majoris hebdomadæ fideles pro detentis pecuniam dabant, quæ eodem modo partiebatur. Sæpe etiam contingebat ut clam privati custodi pro detentis æs traderent: custodi erat necesse rem Præposito declarare et distribuere his qui inter detentos penuria maxime laborabant. Si vel minimam partem commissæ pecuniæ interceptisset, comprehendebatur quasi fur et suspendio mulctabatur. Quod autem ad aquam bibendam attinebat, « le geôlier sera tenu de tenir pleine d'eau la grande pierre qui est sur les carreaux¹ ».

Is fuit detentorum status in Castelletto, qui, si erat tolerandus « aux gens d'estat et d'honneur », miserrimus fuit iis qui in humilibus carceribus degebant. Hi itaque omni opera contendebant ne diutius ibi permanerent. Judex videlicet relaxationem pacta conditione impertiri poterat, dummodo accusatus in conspectum ejus tempore statuto iterum veniret, judexque alteram dilationem daret, quod quidem fuit rarum². Facilius paciscebatur reus cum apparitore quodam, serviente vel regio ministro qui regis nomine ad Castelletum veniebat detenti alicujus emissionem petiturus, et custode benevole ostium aperiente. Quod vitium singulare rex perspexit et primum quidem Parlamento, Parisiensi Præposito, ceterisque omnibus iudicibus interdixit ne nisi scriptis obtemperarent, et maxime ne detenti emitterentur ob invitationem factam a ministro voluntatem regiam verbis exprimente (litteris mense aprili, anno 1402, datis)³. Sed id satis non valuit; nam mense aprili anni 1410, iterum præceptum fuit etiamque imperatum ne detentus ullus relaxaretur requirentibus camerariis, servientibus aut ministris quibuscumque, nisi illi viri essent instructi litteris patentibus in hunc finem concessis⁴.

Cum relaxabatur aliquis de legitima ratione, intercedebat-

1. *Ord.*, XIII, 401.

2. *Reg. crim.*, II, 8.

3. *Ord.*, VIII, 502.

4. *Ibid.*, XII, 233.

que alius cujus intererat, hic apud clericum custodis Castellensis intercessionem faciebat, ad quam confirmandam debebat probare a se domicilium eligi Parisiis, et curare ut ea intercessio in tabulas publicas referretur, et, vectigalis causa, quatuor denarios Parisiensium solvere¹.

IV. — *Exceptio clericatus.*

Multi rei apud tribunal expostulabant ne a Castelleto judicarentur, sed ad officialem mitterentur, causantes se esse clericos. Cur tot rei privilegium fori ecclesiastici sibi bono vel pessimo jure, vindicarent, facile est intellectu.

Officialis nempe omnia clericorum crimina vel delicta judicabat, etiam cædes, neminem autem morte mulctabat, jure canonico vetante profundi a clericis sanguinem; solum damnabat ad carcerem; et, ut dixi, ingressu regis vel reginæ in civitatem Parisiorum, vel mutatione quadam episcopi aut archiepiscopi, rogato etiam præpotentis domini, vel dominæ nobilis, carceres patebant.

Qua ratione cum judex castelletensis accusatum quemdam interrogaret cur se falso tondendum curavisset, hic confessus est sibi hoc suasisse conscium qui dixerat « que se d'aucun aventure il estoit prins par la justice laye, qu'il seroit perdu », quum contra « il ne moroit nul prisonnier en la cour duoit official et que tousjours l'en en yssoit par detencion de longue prison, nouvel advenement d'arcevéque ou autre grant seigneur qui faisoient délivrer yeulx prisonniers² ». Alius autem: « Tousjours vient-il aucuns grans seigneurs ou dames qui font grâces aux prisonniers en la court spirituelle plustot et plus souvent que à ceulx de la court temporelle³ ».

Parisiensis episcopus plurimum speculabatur quidquid suum privilegium minueret, evigilabatque et statim refragabatur si Præpositus, ratus reum esse falso tonsum, ulterius

1. *Ordon.*, XIII, 100.

2. *Reg. crim.*, I, 80 et 90.

3. *Ibid.*, I, 78.

procederet; ex alia parte, concilium regis et Parlamentum studebant rationem diligentem habere de episcopi postulatis, jusque huic reddere.

Episcopus duas vias procedendi juridice sequebatur ad interveniendum: primum apud Parlamentum querebatur. Cum quisquam nomine Ernoul de Lates furti accusatus, se falso dixisset esse clericum, et propositum non probantem judices Castelleti judicare perseverarent, ex improvise adfuit, tribunali Joannes de Cessières, regius notarius scribaque criminalis Parlamenti, enarrans episcopum reclamasse apud Parlamentum, et se scribam missum qui rem inspiceret. Parlamento missæ fuerunt perscriptiones, curiaque, auditis rebus perscriptis, Præpositique significatione, pronunciavit et officialem postulatione dejecit¹. Tum rem episcopus ad cancellarium vel ad concilium regis deferebat. Duo homines, quum apud Castelletum stetissent, se clericos affirmantes, et clericatum non probavissent, Præpositus litem persecutus est; clericus autem cancellarii, nomine Petrus Caloire, venit a domino missus ut arcesseret, requirente episcopo Parisiensi, Præpositum ejusque locum tenentem et regium procuratorem, qui audirent apud cancellarium requisitionem ab episcopo propositam de lite intenta adversus Præpositum. Præpositus simulque duo alii viri arcessiti, cum se ad cancellarium contulissent, invenerunt apud eum Parlamenti præsidem, præsidem compotorum cameræ, magistrumque requestarum domus: qui cæsus, in documento, dicitur regium concilium; aderat etiam episcopus cum suo causidico duobusque sui officialis promotoribus. Apud tribunal ejusmodi querimoniam suam ei exponenti, Præpositus respondit qua ratione processum esset; deinde concilium sententiam dixit, scilicet Castelletum jure fecisse. Instante episcopo et postulante ut nonnulli ex concilio mitterentur ad Castelletum, ibi rem investigaturi, concilium assensum fuit, Parlamentique præses, Præpositum comitatus ad tribunal, liti interfuit².

1. *Reg. crim.*, I, 296.

2. *Ibid.*, I, 85. Cf. *Fragment d'un répertoire de jurisprudence*, n° 35, p. 14.

Quid deinde in curia ageretur, quum reus se esse clericum prædicabat, consideremus.

Interrogabatur primum an tonsus esset; quod, si esset, arcesebantur vel unus vel multi tonsores jurati (die quodam tredecim fuerunt arcessiti) ad comperiendum an tonsuræ signum « est bon, vray et loyal »; plerumque tonsor affirmabat tonsuram esse recens factam « comme d'un jour ou d'une nuit et plumée aux mains, c'est assavoir esrachié et tiré l'un des cheveux après l'autre¹ ». Si reus tonsuram non habebat, interrogabatur in quibus adjunctis clericatum accepisset, quodnam fuisset nomen episcopi ordinantis, in qua urbe ordinatus esset, quo fuisset ordine decoratus. Bajulus cæmentarii cuidam olim interroganti respondit pronuntiando duo prima verba quinti versus quinti decimi psalmi quem ordinandi, tonsuram accipientes, recitant : « Dominus pars² ». Deinde, de suis precibus rogatus, recitabat « Pater, Ave, Credo » et patebat jam quid sciret et quantum sciret. His factis, iudices declarabant se ei fidem non habituros nisi litteras clericatûs exhiberet, quæ ei ordinato traditæ fuissent, vel testes arceseret qui clericum esse affirmarent. Quindecim dies ad exhibendas eas litteras ei dabantur; tum vero accusati responsa varia faciebant, scilicet : alius fingebat a patre suo clericatus litteras detineri, patrem autem procul obiisse, litteras vero non amplius apparere; alius litteras crematas in incendio domus quam habitabat; alius documentum in urbe remotissima olim inventum, non jam inveniri. Elapsis quindecim diebus, nec exhibitis litteris, iudices pronuntiabant reum esse pseudo-clericum, jubebantque ejus caput integre novacula radi « estre rez tout sus »; deinde ipsum ut laicum judicabant.

Recognitum est demum, eadem sæpius re factitata, maxime dilationem quindecim dierum nimiam esse, statutumque est igitur ut in posterum, si quis se clericum diceret, de eo statim quæstio haberetur, qua extorqueretur verane an falsa affirmaret³.

1. *Reg. crim.*, I, 204 et 486.

2. *Ibid.*, I, 51.

3. *Ibid.*, I, 84, 89.

V. — *Audientia, quæstio.*

« Sitôt que la première messe Saint-Jacques-de-la-Boucherie sera chantée, l'audientier du Chastellet sonnera la cloche qui à ce sera ordonné au Chastellet, par l'espace et heure de dire unes sept seaumes; et si tost qu'elle sera donnée, le prevost ou son lieutenant enterra en siège pour l'expédition des causes¹ ». Septima igitur hora ante meridiem, Castelleti audientia fiebat, præcone silentium jubente, portulamque observante².

Quis iudicibus præerat? Præpositus quidem; quum autem sæpe abesset, locum tenens illius agebat vices; præsertim locum tenuit, ætate de qua agitur, Joannes Truquan, qui fere toto tempore iudicavit. Quum nec Præpositus, nec locum tenens adesse poterant, jubebant præsidere tribunali quem vellent, scilicet etiam examinatore³.

Quod attinet vero ad tribunalis compositionem, tribunal constare poterat ex Præposito, ex locum tenente, ex auditoribus, examinadoribusque, ex advocatis et procuratoribus, ex causidicis qui omnes iudicibus opinaturi assidebant; ab eoque statu maximo, ut ita dicam, ad statum in quo tribunal ex uno constabat, scilicet ex locum tenente, qui quasi solus semel iudicavit⁴, reperiebantur omnes assidentium numeri diversissimi. Vice versa, si illi qui in Castelletto sedere jure debuissent, deficiebant, alii plures erant qui iudici assiderent, quamvis non addicti huic tribunali ut legum periti (si tamen essent legum periti), nec ullo vinculo sui status astricti juri, ita ut jam quærat nonne cuilibet in pavementum prodeunti liceret in tribunal ascendere⁵.

Notitia peculiaris de viris Parlamenti facienda est qui sæpe in Castelletum prodibant, futuri participes litium judican-

1. *Ord.*, VII, 705. — Cf. *Glasson, op. cit.*, p. 84.

2. Sine iudicis auctoritate ædibus exire non ei licebat; si exibat, decem solidis Parisiensium mulctabatur prima vice, et, si iterum, viginti.

3. *Ord.*, XIII, 100.

4. *Reg. crim.*, I, 244.

5. *Ibid.*, I, 41, 56, 220.

darum, vel sponte vel a Præposito accessiti, cum is in re difficili legitimum consilium requirere vellet. Idecirco assidebant sive unus¹, sive duo consilarii², procurator Parlamenti³, scriba criminalis majoris curiæ, Joannes de Cessières⁴, etiam præco Parlamenti⁵, causidicique⁶, nunc veri multique quæsitores a majori curia delegati, qui ex Castelleto veram Turnellam criminalem efficiebant, vel Parlamenti cameram. In lite gravi de veneficio, ubi quatuor rei periclitabantur, conserunt in Præpositi audientia præses, sex consilarii duoque Parlamenti advocati⁷; alteri majori causæ, ubi de mandatis regiis non confectis agebatur, interfuerunt etiam præses, sex consilarii, procurator advocatusque regius⁸; nonnullis aliis causis interfuerunt solummodo præses scribaque criminalis⁹.

Nec soli Parlamenti magistratus in Castelleto jus dicebant. Ad audiendam litem intentam militi Merigo Marchès, sederunt præses Parlamenti, vicecomes Iatinensis, regius camerarius, senescallus Lemovicensis, consiliariusque majoris cameræ, quod tribunal, audientiis confectis, sententiam dicere non ausum fuit, ad regemque detulit, qui respondit ut lis pergeretur, et si iudices dubitarent pronuntiare, provocaret Præpositus ad Castelletum « telz gens de son conseil comme il verroit que bon seroit¹⁰ ». Alias, sedit iudex congergerius¹¹, « un esleu à Paris sur le fait des aydes¹² », scutarius¹³, major sancti Martini, Nicolaus Blondel¹⁴, miles execu-

1. *Reg. crim.*, I, 239.
2. *Ibid.*, I, 333.
3. *Ibid.*, II, 344.
4. *Ibid.*, I, 103.
5. *Ibid.*, I, 98.
6. *Ibid.*, I, 21; II, 338.
7. *Ibid.*, I, 468.
8. *Ibid.*, I, 552.
9. *Ibid.*, II, 89.
10. *Ibid.*, II, 181.
11. *Ibid.*, I, 21.
12. *Ibid.*, I, 36.
13. *Ibid.*, I, 87.
14. *Ibid.*, I, 106.

biarum¹, quidam appellatus burgensis Parisiensis², frumentarius³, magister requestarum in hospitio ducis Burgundiæ⁴. Patet ex dictis quam inordinate tribunal constitueretur.

Ad tribunal ita compositum reus a serviente adducebatur « sur les carreaux », quasi suspectus sive de furto, sive de cæde. Jussusque jurare se, de quibus rebus interrogandus esset, vera asseveraturum « sans mensonge ne faus adjouter en aucune partie », admissa confitebatur vel negabat⁵. Tunc testes dicere testimonia poterant, sed satis rari veniebant, testimoniis nempe non valentibus nisi accusatus fassus suum fuisset crimen. In re turpi, cum minister Caroli VI accusaretur, Joannes le Mercier, regius consiliarius et major domus, iudices non jusserunt illum in suum conspectum venire, quamvis testimonium ejus summi viri desiderarent, sed locum tenentem advocatumque regium ad domum Joannis le Mercier miserunt, qui ejus testimonium acciperent⁶. Si quis falsum declarasset, in periculo erat ne palo alligaretur, vel damnaretur capitis, pro rei gravitate⁷.

Post hæc exordia reus « est fait traire arrière sur les quareaux à part », iudicesque deliberare incipiunt, statuuntque eum torquendum. Omnes rei nempe, nullo excepto, quæstioni subigebantur; nam vel non fatebantur, et ideo criminis extorquenda erat confessio, vel fatebantur. Si fatebatur iudices, sic disserebant: iste quem sub oculis habemus, pessimæ speciei maleficus, si tale scelus admisit, alia potest admisisse. Torquebatur itaque ut omnia declararet.

Castelleti stylus tradit duas vias a iudicibus initas, cum reus crimen non fatebatur, scilicet vel litem extraordinariam « comme est gehiner, procéder à tourment » vel ordinariam, scilicet adversus comprehensam probare quod negabat.

1. *Reg. crim.*, II, 130.
2. *Ibid.*, II, 156.
3. *Ibid.*, II, 172.
4. *Ibid.*, II, 119.
5. *Style du Châtelet*, fol. 18, r^o.
6. *Reg. crim.*, II, 122.
7. *Style du Châtelet*, fol. 24, v^o.

Judex ipse viam eligebat¹. Intelligitur quam difficilis esset posterior via juridice procedendi; rarissime igitur adhibebatur; via vero extraordinaria usui esse solebat.

Quum iudices aliquem torquendum mittebant, brevibus verbis exprimebant quas ob causas mitteretur.

De quæstione et qualiter XIV^o sæculo haberetur, historici silent. Plerique enim scripserunt de XVI^o, XVII^o et XVIII^o sæculo, ubi exundant documenta: rara autem sunt Carolo VI regnante et minus clara². Satis sit hic in prompto dicere quæ in Castelleto fierent. Mos erat ut de factis criminalibus solum aliquis torqueretur, sed iudices tamen torquebant, maxime de falsis scripturis³. Viri mulieresque indistincte torquebantur. Castelletum duobus torquendi viis utebatur: fulmento vel *trestello* minori primum; quod cum non sufficiebat, fulmento majori; quæ duo suppliciorum genera per multas ætates ad XVIII usque sæculum perseverarunt⁴. Nudus et manu annulo alligatus (qui fixus erat in muro sex pedibus circiter alto), pedibus etiam per funem vinctus, patiens corpus proclinatorum præbebat. Admovebatur fulmentum minus ad funes qui patientis corpus humi retinebant, et, compressione facta, magis stringebantur ejus musculi, dum corpus ipsum immotum teneretur. Deinde in os inducebatur infundibulum, in quod aquæ frigidæ ingens vis immittebatur, quæ varia erat prout adhibebatur prior vel posterior quæstio. Multi ad dandas manus non expectabant donec aqua infunderetur: « fu mis sur le petit tresteau et ainsi comme l'en lui vouloit donner à boire... » affirmavit se locuturum⁵.

1. *Style du Châtelet*, fol. 19, r^o.

2. Jean Millæus: *Praxis criminis persequendi...* Par., 1541, in-fol. — Jean Damhoudere: *La pratique et enchiridion des Causes criminelles...* Louvain, 1555, in-4^o. — Moyart de Vouglans: *Les Loix criminelles de France*, Paris, 1780, in-fol. p. 59-61. — Ch. Berriat-Saint-Prix: *Des Tribunaux et de la Procédure criminelle du grand criminel... avec des recherches sur la question ou torture*, Paris, Aubry, 1859, in-8^o, p. 54-103. — Molinier: *La Torture*, apud *Mem. de l'Acad. des sciences, inscript. et belles-lettres de Toulouse*, 8^e série, t. I, 1879, p. 301-327, etc.

3. *Style du Châtelet*, fol. 24, v^o.

4. Cf. Berriat-Saint-Prix, *op. cit.*, p. 74. — Jean Damhoudere, *op. cit.*, p. 69. — Jean Millæus, *op. cit.*, p. 61.

5. *Reg. crim.*, I, 69.

Si satis non erat minus fulmentum, adhibebatur majus. Ut nomine ipso significatur, erat fulmentum editius; tensio igitur musculorum ita aucta dolorem majorem afferebat. Uberior etiam aqua immittebatur. Mirum sane quod plures quam videre erat in his doloribus non interirent!

Ea sunt duo sola torquendi genera quæ in Castelleto usui erant XIV^o sæculo. Non distinguebatur adhuc, sicut postea distinctum est, inter præparatoriam quæstionem, ordinariamque et extrordinariam; una adhibebatur; deinde, si accusatus tacebat, posterior.

Bis tantum admota fuit alia quæstio: vir prædictus Merigot Marchès, exempli gratia, « est estendu à la question de la *Coustepointe* sur le petit tresteau¹ », quorum verborum enucleationem nusquam reperi. Aliàs accusatus quidam quæstionem « la Pelote² » passus est, quam existimant constitisse in colligando reo per funes ferratos, qui stringebantur donec in carnes penetrarent³.

Patiens plerumque, ut supplicio liberaretur, se pollicebatur locuturum, statimque, sine quæstioni facto, deducebatur in ædes quasdam Castelleti nomine *La Cuisine*, ubi omni ope recreabatur: ante ardentem focum positus, optimisque vestimentis indutus, invitabatur ad bibendum manducandumque; cumque esset quasi redivivus (*refreschi*), iterum ducebatur ad tribunal ubi responderet⁴; et si obmutescerat, altera quæstio ad alteram audientiam potissimum differebatur.

Obnoxius quisque comitali morbo⁵ non torquebatur, sed nec gravida mulier⁶.

Si quis, quamvis cruciatus, nihil confessus erat, iudices mediam tunc quærebant rationem. Cum argutus esset aliquis falsis talis decepisse, et cum his terque positus in minori majorique fulmento nihil confessus esset, iudex comperiens eum antea in decem annos Parisiis bannitum fuisse et ante

1. *Reg. crim.*, II, 203.

2. *Ibid.*, I, 208.

3. Vid. figuram hujus supplicii apud J. Millæum, *op. cit.*, p. 61.

4. *Reg. crim.*, I, 10, 167, 321.

5. *Ibid.*, I, 261.

6. *Ibid.*, II, 430.

elapsum tempus rediisse, omisso furti crimine, hominem de banno rupto damnavit jussitque extra regnum perpetuo exulare¹.

Quæstione perfecta obtentaque confessione, e judicum conspectu reus subtrahebatur, hi vero deliberabant. Præpositus vel ejus locum tenens sententiam eos qui aderant rogabat, et prævalente plurium sententia, dicebatur : « ouye l'opinion desquelx conseillers, attendu que par la plus grant et saine partie sont d'opinion que²... »

At aliquando judicum sententiæ in contrarias partes æquo Marte dividebantur : furem quemdam (exempli gratia), nomine Joannem Petit, decem et octo annos natum, judicibus quinque placuit suspendi, quinque autem aliis, perpensa accusati ætate deliberantibus an tam adolescens animadverti posset, placuit esse « bany de la ville et viconté etprevosté de Paris à tousjours, sur la peine de la hart et... lui coppé l'oreille dextre ». Præpositus ad audientiam proximam sententiam distulit, rogavitque ut quisque meditaretur, se autem de eo locuturum esse cum aliis consiliariis, et in audientia sequenti, cum magistratus rem perpendissent, Joannes Petit suspensus fuit³.

Accusata saga quadam nomine Macete, uxore Hennequin de Rully, consilarii non consentiebant; alii cremendam, alii vero dimittendam esse censebant, causantes ex ejus artificiiis neminem interiisse : interrupta deliberatione, Præpositus foras exiit, rogaturus multos sententiam, præsidem nempe a libellis palatii, Parlamenti etiam consiliarium ejusdemque curiæ advocatum et procuratorem; demumque uxor est cremata⁴.

In prædictis causis Castelletum viros Parlamenti singulariter consulebat, sed exemplis nonnullis probatur publice etiam consuluisse ipsam cameram curiæ.

Quum de falsario, Stephano Joson, qui falsas tabulas æris

1. *Reg. crim.*, II, 147.

2. *Ibid.*, II, 336.

3. *Ibid.*, I, 237.

4. *Ibid.*, II, 359.

alieni effinxerat ad pecuniam sibi comparandam, judices deliberarent utrum banni an suspendii pœnam expeterent, Præpositus Parlamenti cameræ rem proposuit, quæ censuit reum suspendendum, quasi latronem, neque ullam rationem habendam esse ejus ad Parlamentum provocantis, si provocaret, sed prætereundum¹.

Sententiis judicum collectis, Præpositus judicium dicebat. Priusquam pœna enuntiaretur, omnes perscriptiones recitabantur audientiarum de re habitaram, quod idem fiebat ineuntibus singulis audientiis ad docendos judices qui superioribus non interfuerant. Deinde judex explanabat quibus rationibus tribunal impulsus fuisset; singulis judiciis erant suæ præfationes, quæ statum accusati exprimebant, an esset vagus, vita infamis, quæ delicta sceleraque ab eo admissa essent, quæ ipse confessus fuisset, multitudinem delictorum ejus, pretium rerum raptarum, si de furto agebatur, circumstantias aggravantes, quota hora delictum esset, an noctu, an ædes effractæ essent². In judicio equitis Merigot Marchès, judices recognoverunt confutaruntque omnia argumenta quibus accusatus se propugnauerat³.

Raro leges evocabantur; in judicio de blasphemia, quam sequebatur pœna singularis, evocatum est regium edictum Philippi II « donné le... » et dies qua datæ sunt hæ litteræ non est inscripta, neque constat de quo Philippo agatur⁴. Tandem pœna edicebatur. Si quis accusatus alios denunciaverat, jubebantur comprehendi hi omnes, et adversus eos singulos inquirebatur separatim, sententia non lata; et is solus damnabatur qui primus denuntiationem fecisset, sed differebatur exsecutio, donec omnes particulares inquisitiones effectæ fuissent; tunc collectivum decernebatur judicium, quo damnationes singulorum commemorabantur⁵.

Si rex pœnam remittebat scelerato ad forum domini supe-

1. *Reg. crim.*, II, 493.

2. *Ibid.*, II, 116.

3. *Ibid.*, II, 206.

4. *Ibid.*, II, 357.

5. *Ibid.*, I, 48-114.

riorem justitiam possidentis pertinenti, detentoque in vinculis hujusce, vis remissionis erat absoluta; judex regius detentum arcessere poterat, nec judex ullus abeunti obstare valebat¹. Si contra prædictus judex superior litteras relaxandi dabat, imo uni ex suis subditis, crimine quasi absolvens, judices regii rationem earum litterarum habebant in hunc modum: die quodam, cum in foro ballivi Samarobrivensis comes Atrebatum attribuisset litteras remissionis sontibus quibusdam, pacta pecunia, in hos ballivus regius, licet absolutos, manus injecit, qui suas litteras exhibuerunt; accepit admisitque eas, quippe quæ crimen affirmarent « et lui valoient confession »; quo facto, eos suspendi jussit².

Si detentus quidam evaderebat, habebatur jam convictus crimine sibi objecto, ea tamen conditione si tempus ei fuerit casum exponendi³.

VI. — *Crimina pœnæque.*

De pœnis scriptor styli Castelletensis hæc ait: « Paine si est travail de corps, fruissi de cuer et desplaisir de voulenté qui sont ordonnez pour justice et pour pugnition ou pour chastolement »⁴. Deinde ulterius subjicit: « Les jugements sont douteuz et doit l'en plus estre enclin à absolucion que a condempnacion et vouldroit mieux espargnier deux coupables que pugnir un innocent; et si doit le juge plus fléchir la lumilité par pitié et miséricorde que soy endurcir par rigueur, car justice est laschette et doyt l'en en toutes choses toujours avoir Dieu devant ses yeulx et son courage et sa pensée et sa mémoire; car celui n'est pas digne de tenir jugement qui doute plus homme que Dieu »⁵.

Ea indulgendi ratione Castelletum practice non usum fuit.

1. *Style du Châtelet*, fol. 23, vº.

2. *Ibid.*, fol. 24, rº, *Le Grand Coutumier*, p. 660.

3. *Ibid.*

4. *Ibid.*, fol. 29, rº, *Le Grand Coutumier*, p. 649.

5. *Ibid.*, fol. 29, vº.

Codex Castelleti tradidit nobis perscriptiones litium intra triennium judicatorum, et accusatos centum viginti octo præbet; scilicet triginta duarum circiter aut triginta trium quotannis, qui parvus sane est numerus. Ex alia parte, quum accusati urgebantur ut scelera præterita revelarent, quod cæterum sponte sub ipsum supplicium faciebant, metu inferni, mirum est quam multa furtiva vel cædes faterentur, pleraque vetusta et fere omnia impunita: inde sequitur numerum maleficorum judicatorum minimum fuisse, si conferantur ad scelera non repressa, quod judices non fugiebat; ideoque pœnæ, quibus convictos afficiebant, formam quamdam severitatis præ se ferebant, quæ terrori exemploque esset.

Exponenda sunt variorum delictorum genera quæ indicantur quasi fuisse objecta illis centum et viginti octo de quibus superius dixi.

Creberrima fuerunt crimina furti: latrocinii vero 85, 16 cædis, deinde successive hæc fuit natura cujusque criminis, et hic fuit etiam numerus eorum qui istis criminibus arguti sunt, multis criminibus ad eundem pertinentibus: injectiones veneficæ puteorum fontiumque, 7; prædationes vastationesque ædium, 6; explorationes contra rempublicam, prodionesque, 4; bestiales actus, 4; maleficia, per vim stupra, 3; cædis consortia, 3; receptiones rerum raptarum, 2; corruptæ tabulæ, 2; deinde unum pro quibuscumque sequentibus, scilicet hortationes puerorum vel puellarum minorum ad libidinem, incendia, nummorum adulterationes, diffamationes, blasphemix, desertiones natorum, omissio mandati regii.

Suspensum fuit pœna communiter irrogata iis qui furto convicti erant, sed mulieres (nunquam enim suspensæ sunt) vel cremabantur, vel vivæ defodiebantur.

Dicitur in præfatione cujusdam judicii « en cas de premier larcin l'on n'a pas accoustumé oudit Chastellet de faire justicier aucune personne »¹, quod Præpositus non semper institutum sequebatur.

Sia pœna capitali Castelleti judices abstinebant, at certe non

1. *Reg. crim.*, II, 279.

ita a pœna banni, cujus pœnæ stylus Castelletensis his verbis, rationem reddit: « se gens sont oyseux et tavernerez, la justice les doit prendre et getter hors de la cité ou autrement soy informer de leur vie, car à la justice appartient de purgier et nestoier la cité de telles gens ». Aliquis bannitus seu ex regno, seu ex civitate Parisiensi et ex locis circumjacentibus, si deprehendebatur hoc edictum negligens, suspendio afficiebatur.

Tale exilium poterant augere particularia quædam: ita fur « feust mené au cul d'une charrete tout batant jusques à la justice et illec bany de la ville, viconté et prévosté de Paris... et illec lui coppé l'oreille dextre »; sic ei desecabatur auris, quod dicebatur « essoriller »; vel antequam banniretur, ad palum alligabatur³.

Pœna aliquoties mitior: puella quædam nomine Mario du Val, furtis nonnullis perpetratis, ætatis teneræ causa, ad palum est alligata et totum mensem in carcere perseveravit⁴. Aliàs, judex statuit custodiendum in vinculis damnatum usque ad « jeudi absolu »⁵. Duo homines, nonnullas uvas furati, a Castelleto ducti sunt ad palum maceliorum, capite pampinis cincto ibique alligati, deinde dimissi sunt⁶.

Interfectores quilibet suspendebatur, et fere semper ante supplicium trahebatur. Si quis furta stupraque miscuisset, poterat obtruncari suspendique, scilicet corpus ejus jam decollatum apud Montemfalconis suspendebatur⁷. Qui arguebantur infecisse venenis puteos aut fontes, obtruncabantur suspendebanturque⁸. Sex homines, cum presbyteralem domum ecclesiamque apud Rungiacum prope Cellas prædati vastavissent, jussi sunt pompam sacram in illo vico sequi, nudis pedibus, nudoque capite et sine indusio, candelam

1. *Style du Châtelet*, fol. 29, vo. *Le Grand Coutumier*, p. 651.

2. *Reg. crim.*, I, 237.

3. *Ibid.*, I, 163.

4. *Ibid.*, I, 196-201.

5. *Ibid.*, I, 197.

6. *Ibid.*, I, 305.

7. *Ibid.*, I, 73.

8. *Ibid.*, I, 469, 475; t. II, 6.

manu gestantes; deinde virgis cæsi sunt nudi in foro, posteaque in carcere clausi, donec emitti jubèrentur¹.

Crimen majestatis erat omnium quæ Castelleti judex dijudicaret gravissimum, intentumque eis qui ad Anglos defecerant, vel quamlibet operam illis præstiterant: affici solebat pessimis conditionibus animadversionis capitalis; reus scilicet trahebatur, obtruncabatur, suspendebatur².

Bestialem actum, vel, ut tunc dicebatur, « la bougrerie » sequebatur rogus: ex quatuor criminibus illius speciei in codice Castelleti numeratis, duo non abnegata fuerunt apud judices, pœnaque ab eis fuit pronuntiata; duobus alteris apud patibulum declaratis, cum noxii pro furto admissis in eo essent ut suspenderentur, mos erat ut tunc statim mutaretur supplicium, et sceleratus, sine ulla alia dicis forma, ad rogam duceretur³. Erant maleficia præsertim a mulieribus perpetrata: si qua probabatur esse saga, in macello porcorum cremabatur⁴. Qui vi mulierem stupraverat aut rapuerat, trahi crate suspendique jubebatur⁵. Cædis conscius aut consors eadem pœna damnabatur quæ interfectores, scilicet morte⁶. Quisquis res raptas receperat celaturus, ad palum alligabatur et e civitate parisiensi banniebatur⁷. Falsarius suspendebatur⁸; mulier quæ pupillam ad libidinem moverat, alligabatur ad palum et cremabatur⁹; pariter incendiarius morte mulctabatur¹⁰; adulterator numerorum in porcorum macello coquebatur¹¹; infamatores cujusdam opulenti principis damnabantur ad palum, linguaque perforata, banniebantur¹²; mulier quæ fallaciam, gallice

1. *Reg. crim.*, II, 247.

2. *Ibid.*, I, 125, 393; t. II, 100.

3. *Ibid.*, I, 97, 190, 231, 367.

4. *Ibid.*, I, 361; t. II, 314, 344.

5. *Ibid.*, I, 14, 73; t. II, 315.

6. *Ibid.*, I, 119, 268; t. II, 61.

7. *Ibid.*, I, 164.

8. *Ibid.*, II, 71, 495.

9. *Ibid.*, I, 47.

10. *Ibid.*, II, 64.

11. *Ibid.*, I, 492.

12. *Ibid.*, II, 27.

« chantage », professa fuerat, palo mulctabatur et e civitate Parisiensi ejiciebatur¹; qui blasphemaverat, secundum criminalem codicem alligatus primo ad palum, conjiciebatur deinde in vincula, ubi pane et aqua vescebatur, donec aliter præciperetur². Edictis autem statutum fuit ut qui primum blasphemasset, palo afficeretur, ab hora prima ad nonam, deinde unum mensem in carcere clauderetur, pane solo et aqua victurus; si vero iterum blasphemasset, superius ejus labrum ferro candenti findebatur; si tertium, inferius labrum; si quartum, totum labium; si quintum, lingua amputabatur³.

Adequator cui negotium esset ferendi tradendique litteras regias, si mandatum, pacta pecunia, non exsecutus fuerat, officio quolibet regio excludebatur, palo mulctabatur, infamatus liliato labio, ejusque lingua exsecabatur⁴.

Si iudices nullum crimen in accusatos arguerant, decretum hoc edebant: « Delibéré fu qu'il n'y avoit pas cause par quoy l'en le peust excecuter comme larron, mais furent d'oppinion que a tousjours mais il feust banny du royaume de France⁵ ».

Sententiam capitalem publicatio bonorum sequi solebat; si vero reus inops erat, scriba sub finem perscriptionis his verbis indicabat: « Et n'avoit aucuns biens soubz le roy » vel « et n'avoit aucuns biens ».

VII. — *Provocationes.*

In Castelleto provocatio non via regularis erat juridice procedendi; ea non solum accusatis raro usui erat, sed quasi speciem induebat reclamationis oblatae Parlamento contra judicia Parisiensis Præpositi. Quod ex ea reclamatione sequebatur maxime varium fuit; nam lites ad Parlamentum translatae nonquam ab illo denuo judicabantur, et in nonnullis quæ

1. *Reg. crim.*, II, 78.

2. *Ibid.*, II, 357.

3. *Ord.*, VIII, 130.

4. *Reg. crim.*, I, 556.

5. *Ibid.*, II, 131.

ad nos pervenerunt, summa curia utiliter via dissimili. Optimum erit, ad demonstrandum quid tunc ageretur, exempla proferre.

Prius autem meminerimus in interiore ipso Castelleto provocatum fuisse a iudicio auditoris ad Præpositi iudicium; id erat « demander l'amendement. » Si sententia auditorii inferioris confirmabatur, damnatus mulctam adauctam solvebat¹.

In quibusdam balliviis senescalliisque mos extitisse videtur ut si accusatus ad Parlamentum provocaret, Præpositus cognitionem intermitteret, quod par erat, neque illum comprehenderet, nisi in carcere jam versaretur; si versaretur relaxabatur, quod magis erat insolitum; inde sequebatur quod reus « s'absentait » nec jam in medium veniret. Litteris patentibus, prima die octobris anno 1393, Carolus VI statuit ut, si provocaretur, nihilominus comprehenderetur ille qui crimine convictus fuisset².

Provocatio in Castelleto fiebat quovis litis momento, sive lite ineunte, sive propecta, sive etiam post sententiam latam, Præposito tunc prohibente litem peragi.

Mulier quædam, Mario l'Estallée nomine, cum argueretur incantationes perfecisse, negaverat, jamque torquenda « elle dist que du tort que ledit mons. le prevost li faisoit, attendu que elle se dist estre femme de bonne famme et renommée et que desdites accusations elle estoit pure et innocent, elle appeloit en la court de Parlement ». Cum Præpositus ad Parlamentum examinatore misisset, qui accusatae et in carcerem reductæ voluntatem enuntiaret, Parlamentum duobus consiliariis negotium dedit se in Castelletum conferendi, rem inquirendi et deinde causam ad curiam referendi; atque relatione audita, statuit ut Præpositus litem perficeret, quasi nihil intervenisset³.

Alius accusatus, nomine Thevenin de Braine, provocavit et ipse, sed solus scriba criminalis Parlamenti, Joannes de Ces-

1. *Ord.*, I, 741.

2. *Ibid.*, VII, 581.

3. *Reg. crim.*, I, 334.

sières, dixit curiam, omnibus perpensis perscriptionibus, censuisse ut Castelleti iudices rem absolverent¹.

Henricus Petit, cum furti argueretur, provocavit; Præposito iudicanti qui assidebant (magister requestarum videlicet regiusque notarius) causam peroratam audierunt, magisterque ait serelaturum de ea ad Parlamentum. Inaudientia sequenti solus notarius adfuit, et declaravit curiam, causa cognita, præcepisse Præposito ut ulterius progrediretur².

Item Mario de la Court, furti etiam insimulata, provocavit: consilarii igitur duo Parlamenti scribaque (Joannes de Cesières) ad Castelletum se contulerunt, audientiis interfuturi, et ipsi pronuntiaverunt iudicium Præposito esse peragendum, nec referendum ad Parlamentum, sibi que a curia datam potestatem ita decernendi³.

Haud tamen existimandum est unquam Parlamentum rationem reddidisse provocationum ad se factarum. Johanna de Brigue, cognomine la Cordière, cum ob maleficii crimen iussa esset cremari, ad Parlamentum provocavit, et in audientia quæ proxime secuta est, tres consilarii criminalisque scriba asseruerunt « Messeigneurs du Parlement » rationes litis examinasse, et, provocatione admissa, censuisse ut Præpositus ad se congregaret curiæ consiliarios « et tel autre conseil que bon lui semblera » ita ut « il voye, visite et examine de rechief plus diligemment le procès dessus escrit que fait n'est ». Subjecerunt etiam ut Præpositus accusatam mulierem torqueri iuberet, deinde diceret sententiam, non obstante sagæ provocatione. Provocatione igitur efficiebatur ut lis denuo cognosceretur ab eodem iudice, cui duo tantum Parlamenti viri consiliabantur: animadvertendum interea est in ea lite plures audientias fuisse agitatatas, neque singulis audientiis viros Parlamenti adfuisse⁴.

1. *Reg. crim.*, II, 144.

2. *Ibid.*, II, 414.

3. *Ibid.*, II, 428.

4. *Ibid.*, II, 299-309.

VIII. — *Exsecutiones.*

Si quis post damnationem se ipsum suspenderat, corpus ejus animadvertebatur, bonaque publicabantur¹. Si quis vero in vinculis ante finitam litem animam efflaverat, corpus honeste sepeliebatur, bonaque non redigebantur in ærarium. Si contra, lite peracta, damnatus fuerat pœna capitali, bona ejus statim fiebant propria regis « et pour ce que le corps ne peut jamais sentir pugnicion, il ne sera jamais excecuté ». Quam saltem opinionem Johannes des Marès edidit contrariam, ut videre licet, in superiore casu opinantibus².

Damnati apud Montemfalconis plerumque pœnam dare solebant, qui locus erat extra Parisios inter portam sancti Dionysii et arcem nomine Bastillam, in colle edito; vocabatur etiam « la justice du roy » ita ut vox ista sæpe proferretur: « être ars devant la justice du roy, être pendu à la justice du roy ». Liber manuscriptus cui titulus « *Les grandes Chroniques de France* », in Bibliotheca nationali servatus, cujus minutæ imagines, mirum in modum pictæ, præbent non paucas descriptiones civitatis Parisiensis qualis erat xv^o sæculo³, suppeditat eximia documenta de loco nomine Monsfalconis. Ea justitia regia patebat in vastum quadrangulum cæmentitium, altum 24 pedibus et 60 longum undequaque; in quatuor angulis extabant quatuor pilæ editæ, invicem junctæ duobus ordinibus trabum transversarum, quæ aliæ ab aliis distabant circiter quindecim pedibus; prima surgebat ad duodecim pedes supra solum cæmentitium, quod efficiebat circiter in totum altitudinem 30 vel 32 pedum. Inter angulos, pilæ adjutrices sustinebant duos trabum transversarum ordines, in universumque quincunx hic erat quindecim palorum. E duobus illis trabum ordinibus damnati suspendebantur, eorumque corpora sub dio relinquebantur.

1. *Style du Châtelet*, fol. 25, v^o.

2. *Ibid.*, fol. 23, r^o.

3. A. Joanne Fouquet fictæ fuerunt. *Bibl. nat.*, Cod. gal. 6465, fol. 236, r^o.

sières, dixit curiam, omnibus perpensis perscriptionibus, censusse ut Castelleti iudices rem absolverent¹.

Henricus Petit, cum furti argueretur, provocavit; Præposito iudicanti qui assidebant (magister requestarum videlicet regiusque notarius) causam peroratam audierunt, magisterque ait serelaturum de ea ad Parlamentum. Inaudientia sequenti solus notarius adfuit, et declaravit curiam, causa cognita, præcepisse Præposito ut ulterius progrediretur².

Item Mario de la Court, furti etiam insimulata, provocavit: consilarii igitur duo Parlamenti scribaque (Joannes de Cesières) ad Castelletum se contulerunt, audientiis interfuturi, et ipsi pronuntiaverunt iudicium Præposito esse peragendum, nec referendum ad Parlamentum, sibi que a curia datam potestatem ita decernendi³.

Haud tamen existimandum est unquam Parlamentum rationem reddidisse provocationum ad se factarum. Johanna de Brigue, cognomine la Cordière, cum ob maleficii crimen iussa esset cremari, ad Parlamentum provocavit, et in audientia quæ proxime secuta est, tres consilarii criminalisque scriba asseruerunt « Messieurs du Parlement » rationes litis examinasse, et, provocatione admissa, censusse ut Præpositus ad se congregaret curiæ consiliarios « et tel autre conseil que bon lui semblera » ita ut « il voye, visite et examine de rechief plus diligemment le procès dessus escrit que fait n'est ». Subjecerunt etiam ut Præpositus accusatam mulierem torqueri iuberet, deinde diceret sententiam, non obstante sagæ provocatione. Provocatione igitur efficiebatur ut lis denuo cognosceretur ab eodem iudice, cui duo tantum Parlamenti viri consiliabantur: animadvertendum interea est in ea lite plures audientias fuisse agitatas, neque singulis audientiis viros Parlamenti adfuisse⁴.

1. *Reg. crim.*, II, 144.

2. *Ibid.*, II, 414.

3. *Ibid.*, II, 428.

4. *Ibid.*, II, 299-309.

VIII. — *Exsecutiones.*

Si quis post damnationem se ipsum suspenderat, corpus ejus animadvertebatur, bonaque publicabantur¹. Si quis vero in vinculis ante finitam litem animam efflaverat, corpus honeste sepeliebatur, bonaque non redigebantur in ærarium. Si contra, lite peracta, damnatus fuerat pœna capitali, bona ejus statim fiebant propria regis « et pour ce que le corps ne peut jamais sentir pugnicion, il ne sera jamais excecute ». Quam saltem opinionem Johannes des Marès edidit contrariam, ut videre licet, in superiore casu opinantibus².

Damnati apud Montemfalcons plerumque pœnam dare solebant, qui locus erat extra Parisios inter portam sancti Dionysii et arcem nomine Bastillam, in colle edito; vocabatur etiam « la justice du roy » ita ut vox ista sæpe proferretur: « être ars devant la justice du roy, être pendu à la justice du roy ». Liber manuscriptus cui titulus « *Les grandes Chroniques de France* », in Bibliotheca nationali servatus, cujus minutæ imagines, mirum in modum pictæ, præbent non paucas descriptiones civitatis Parisiensis qualis erat xv^o sæculo³, suppeditat eximia documenta de loco nomine Monsfalcons. Ea justitia regia patebat in vastum quadrangulum cœmentitium, altum 24 pedibus et 60 longum undequaque; in quatuor angulis extabant quatuor pilæ editæ, invicem junctæ duobus ordinibus trabum transversarum, quæ aliæ ab aliis distabant circiter quindecim pedibus; prima surgebat ad duodecim pedes supra solum cœmentitium, quod efficiebat circiter in totum altitudinem 30 vel 32 pedum. Inter angulos, pilæ adjutrices sustinebant duos trabum transversarum ordines, in universumque quincunx hic erat quindecim palorum. E duobus illis trabum ordinibus damnati suspendebantur, eorumque corpora sub dio relinquebantur.

1. *Style du Châtelet*, fol. 25, v^o.

2. *Ibid.*, fol. 23, r^o.

3. A. Joanne Fouquet fictæ fuerunt. *Bibl. nat.*, Cod. gal. 6465, fol. 236, r^o.

Non in suggestio cœmentitio, sed ad partem ejus imam et anteriorem damnati cremabantur; in iisdem minutis imaginibus nobis descriptum est quonam modo illud supplicium exerceretur. Non struebatur rogi editus, in quem damnati ascendere juberentur; sed ad palmam eundem una alligabantur in plano solo plerumque seni aut septeni¹. Deinde lignorum fascēs successive ad pedes eorum accendebantur, singulis præ se fascem ardentem habentibus; itaque horride cruciati, quasi lento igne, ut communis sermo usurpat, interibant.

Qui cremabantur quasi « bougres » animadvertentur in macello porcorum ultra portam sancti Honorati². Palus et locus, ubi plerique obtruncabantur, in macellis erant.

Quum mulier, morte damnata, se fassa erat gravidam, duæ matronæ juratæ arcessebantur quæ rem testarentur, et deinde animadversio, donec mater pareret, differebatur, non tam pietate in mulierem quam misericordia in natum, ne interiret priusquam baptizaretur³.

Quum damnatus erat judæus, non, sicuti cæteri omnes, suspendebatur, sed in eum major atrocitas exercebatur (in præfationibus enim judicantis legebatur: « Veu l'estat d'icelli... juif », qua re casus flebat gravior); nam judæus per pedes suspendebatur, et ad ejus dexteram sinistramque duo magni canes quoque suspendebantur pedibus. Mos erat, cum in ipso supplicii momento judæus esset, invitare eum ut se baptizari sineret, quod sæpius non abnuebatur⁴.

De magistratu numero qui supplicio facinosorum interesse debebant, nulla certa regula: scriba aderat sæpissime, qui confessiones exciperet quas damnatus evulgare in extremis poterat. Aderant etiam servientes equites et virgati, Præpositusque (raro saltem), locum tenens (aliquoties), auditores examinatoresve, varii numero, semel clericus solus Præpositi cum tribus servientibus equitibus⁵. Decebat animad-

1. Bibl. nat., Cod. gal. 6465, fol. 236, r^o.

2. *Reg. crim.*, I, 189.

3. *Ibid.*, II, 297, 430.

4. *Ibid.*, II, 52.

5. *Ibid.*, I, 13.

versionibus adesse viros judicicos, non tantum ad eas explorandas, sed potissimum ad declarationem novissimam accusati accipiendam, cujus ex genere mutabatur aliquando supplicium. Damnatus nempe fatēbatur, metu percussus pœnarum æternarum, malefacta quæ in quæstione non confessus erat: « parce qu'il veoit bien qu'il estoit sur sa fin et que avec soy, pour le salut de son arme, il ne vouloit pas emporter les autres crimes que fais avoit sans les cognoistre en sa vie devant le peuple, pour descharger sa conscience¹ ». Accidit quondam, cum servientes soli supplicio adessent, nec Præpositus, nec locum tenens, nec auditor nec examinatus, servientes suo periculo susceperunt mutandam sententiam; Jehanninus enim de la Montagne, furto facto, jussus suspendi, et jamjam moriturus, eadem est confessus quam apud judices omiserat (scitum est autem furem suspendio affici, grassatorem vero crate trahi et suspendi): « et pour ce, par l'advis et deliberacion desdiz sergens, icellui Jehannin de la Montagne fu un pou, et du consentement dudit prisonnier, trayné environ la justice du roy nostre sire, et en après ce, le jugement dit contre lui prononcé, exécuté et mis à mort² ». In casu alio quo fur suspendi jussus apud patibulum crimen bestialitatis confessus fuit, locum tenens ipse sontem a suspendio ad rogi misit³.

Eis qui intererant supplicio non solum excipiendæ erant confessiones in extremis extortæ metu inferni, sed etiam declarationes vel commendationes variæ, quas edere damnatum juvabat. Sic quispiam nomine Jehanninus Saint-Omer, cognomine Cousin, cum in eo esset ut supplicio afficeretur, petivit a locum tenente Joanne Truquan « que pour lui et à ses despens feist faire par aucun homme tout nu un voyage ou pelerinaige qu'il s'estoit vouez faire à Notre-Dame de Pontoise, en jurant et affermant en sa conscience icellui pelerinaige ou voyage avoir promis juré à faire⁴ ».

1. *Reg. crim.*, II, 117.

2. *Ibid.*, II, 110.

3. *Ibid.*, I, 112, 231.

4. *Ibid.*, I, 110.

Diutissime et ad extremum usque XIV^m sæculum, damnatis in supplicii articulo non administrabantur sacramenta, ut hac novissima pœna censerentur in infernum dimitti. Anno 1396, Carolus VI eam consuetudinem correxit, litterisque 12 februarii ejusdem anni, statuit ut in posterum eorum qui ad supplicium ducerentur, confessio a sacerdote prius audiretur. Sed antequam id constitueretur, consulendum fuit magnum concilium, quod constitit ex regis avunculis, ex Parlamenti magistratibus et ex plurimis aliis viris, adeo hæc correctio videbatur difficillima et maximi momenti¹.

Quod spectat ad carnificem, satis erit memorare certa stipendia fuisse ab eo percepta in macellis. Deinde cum Castelleti custode vestimenta mortuorum partiebatur; custos accipiebat argenteum cingulum damna¹, si tale forte ille habuisset (hiscæ temporibus vero cingulum tale sat commune erat), ea tamen conditione ut non pluris valeret quam selibra. Idem custos sibi habebat « la tasse », crumenam scilicet mortui omnemque ejus signatam pecuniam. Carnifex autem obtinebat quidquid esset « dessubz la sainture », voces satis incertas quarum significationem non pronum est intelligere. Si cingulum pluris quam selibra valebat, et signata pecunia si decem libras superabat, custos nihil sibi accipiebat².

1. *Ord.*, VIII, 122.

2. *Style du Châtelet*, fol. 22, v^o.

CLAUSULA

De Castelleto parisiensi, quale extiterit Caroli VI tempore, explicuit dissertatio nostra; ex monumentis videlicet studuimus revocare qui fuerint in prædicto tribunali magistratus ad dicendum jus, quibus ministris sive officialibus Præpositus usus sit ad idem jus exsequendum; quæ demum fuerit jurisdictio et competentia magistratuum et ministrorum; inde etiam licuit observare statutum fixumque extitisse numerum nec judicum, nec ministrorum, Præpositique jurisdictionem definitam stricte fuisse nec in dictæ jurisdictionis extensione, sive comprehensione, nec in regulis quæ eam jurisdictionem dirigeret congruenter, præsertim cum Parlamentum, haud secus ac dominicales judices, haud dissimili competentia pollerent.

In Castelleto igitur compertam habemus jurisdictionem quæ, postquam principio dominicalis fuit, crevit paulatim in regiam, quæque non jam feudale dominium, sed universas regni partes per processum quemdam lentum obscurumque occupavit. Processus istius conditionem præsertim causatur indoles ipsa temporis, quo publica munera definire stricte non contigit. Munera scilicet ex parvo nata in majus augebantur rerum occasione, nulla potestate ad regulam redacta, vel intra certos limites coarctata. Ideo Castelleti conditio non diversa a Parlamenti conditione fuit, necnon utriusque historia in idem conspirat.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
Nonis mart. ann. MDCCCXCIV
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

Typis mandetur,
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.